Jacob Bernays

de emendatione Lvcretii

Bonn 1847

herausgegeben von Norbert Flörken

beta-version

Impressum

© 2020 Norbert Flörken

Inhalt

Einleitung **5**

CAPUT I. DE LIBRIS MANUSCRIPTIS 7

A. De antiqua librorum manuscriptorum Lucretianorum familia 7
§ 1. De priore antiquae familiae genere 9

De fragmento Gottorpiensi 9
Vindobonense 12
Lugdunensi 2 14
De Bertiniano codice Lambini 14
De codice Francisci Modii 17
Memmiano Lambini 19

§ 2. De secundo antiquae familiae genere 19

De codice Lugdunensi 1 19

B. De interpolata librorum mscptorum Lucretianorum familia 21

CAPUT II. DE LIBRIS EDITIS 29

Hieronymus Avancius Veronensis 29
loannis Baptistae Pii 30
Luntina editio 31

CAPUT III. DE FIDE CODICUM LUGDUNENSIUM 34

§ 1. De discrimine Lugd. 1. et Lugd. 2. 34
§ 2. Repetitiones 35
§ 3. De lacunis archetypi 38
§ 4. 43
§ 5. De carmine per ipsum Lucretium absoluto 44
Corrigendum. 44

LITERATURVERZEICHNIS 46

Jacob Bernays: De Emendatione Lucretii[1]

Einleitung

„De emendatione Lucretii" / „Von der Verbesserung des Lukrez" war die erste grössere Arbeit, mit der der 22jährige Student Jacob Bernays[2] 1846 in die Öffentlichkeit trat; im Jahr zuvor hatte die philosophische Fakultät der Universität Bonn die Preisaufgabe gestellt, die handschriftliche Überlieferung des antiken Dichters Titus Lucretius Carus („De natura rerum") zu erforschen. Der Hamburger Student Bernays hatte sie glänzend gelöst, seine Arbeit wurde in der Zeitschrift „Rheinisches Museum" von 1847 (herausgegeben von Ritschl und Welcker) abgedruckt. Eine beeindruckende Karriere an der Hochschule stand dem jungen Mann bevor, der 1848 promoviert wurde mit einer Arbeit über Hippokrates. Noch in demselben Jahr habilitierte sich Bernays mit einer Abhandlung über Heraklit. Seine Habilitationsvorlesung am 3. November 1848 handelte von der Geschichte der Philologie.

Es waren unruhige Zeiten ausserhalb des emsigen universitären Alltags: Die Märzrevolution 1848 schien Deutschland auf den Kopf zu stellen: der preussische König Friedrich Wilhelm IV. musste am Schloss in Berlin den Männern, die bei den Strassenkämpfen in Berlin ums Leben gekommen waren, die Reverenz erweisen. Doch ein Jahr später war die Reaktion wieder fest im Sattel; und das bedeutete für Jacob Bernays, den Sohn eines strenggläubigen Hamburger Rabbiners, dass ihm eine Professorenstelle an einer preussischen Universität für immer verwehrt bleiben sollte.

Bernays fand 1853 eine Anstellung an dem jüdisch-theologischen Seminar in Breslau, dort übernahm er den Lehrstuhl für klassische Philologie. Im Jahr 1866 folgte dann doch noch der Ruf auf den Bonner Lehrstuhl, den er bis zu seinem Tod 1881 innehatte. Sein

Arbeitsgebiet waren die griechischen Philosophen z. B. Heraklit, Aristoteles oder Philon.
Beerdigt wurde Bernays, der sich zeit seines Lebens streng an die mosaischen Gesetze hielt, auf dem jüdischen Friedhof in Bonn. Den Übertritt seines jüngeren Bruders, des Literaturhistorikers Michael Bernays, zum Christentum hat er nie verwunden. Jacob war nicht verheiratet.

Seine „emendatio" ist eine überaus fleissige und genaue Analyse der Handschriften und bisherigen Editionen des Lukrez, selbstverständlich in Latein verfasst. In der Mitte des 19. Jahrhunderts nahmen die Editionen antiker und mittelalterlicher (siehe MGH) Autoren stark zu; und kurz nach Bernays' Aufsatz gab Karl Lachmann[3] die erste moderne Ausgabe „de natura rerum" heraus.

Caput I. De libris manuscriptis

A. De antiqua librorum manuscriptorum Lucretianorum familia

Lucretiani carminis libros msptos, quos circiter quinquaginta exstare comperi, in duas distribuendos esse classes, eorum qui ante et qui post renascentium literarum saecula scripti sint, hodie non est quod uberius explicetur. Hoc autem quaeritur praeter cetera: quanam singuli, qui ad antiquam familiam pertinent, libri inter se contineantur ratione, qualique necessitudine nova familia coniuncta sit cum antiqua. Ac priori quidem quaestioni, quae nunc nobis est tractanda, ita responderunt **Orellius**[4] {Iahni annall. T. III {a. 1827} fasc. IV, p. 86 not.} et **Madugius**[5] {Opusc. T. I, p. 308} ut „excepto fortasse fragmento Gottorpiensi omnes antiquos libros ex uno eodemque fluxisse archetypo“ diceret Orellius, ne <534> Gottorpiense quidem fragmentum Madvigius exciperet. Erravit vero uterque, tum quod ex **Hauercampi**[6] testimonio iudicium de Lugdunensibus codicibus facere non sunt veriti, tum quod animum non advertentes nisi ad ea in quibus consentiunt libri, discrepantiarum sal gravium nullam habuere rationem. Ut enim principalem, ex quo omnes antiqui libri manarint, fontem fuisse eundem, cumque turbidissimum, constans in multis corruptelis probet consensus: tamen ex principali illo fonte duos in diversas partes deductos esse rivulos diligentior codicum Lugdunensium pervestigatio docet. Ipsius igitur antiquae familiae quum duo discernenda sint genera, eorum generum indicia haec sunt, quae infra posui.

In iis libris, qui ad *prius* antiquae familiae genus pertinent

1. *desunt* in ipsius carminis continuitate Lucr. lib. I, vv. 735[7] – 785; II, 253 – 304; II, 757 – 806; V, 926 – 977;
2. *desunt* I, 1067 – 1074;
3. *desunt* II, 508 – 510;
4. *deest* I, 124.

In iis autem libris, qui ad *alterum* antiquae familiae genus pertinent

1. *adsunt* suis locis in ipsius carminis continuitate collocati I, 735 – 785; II, 253 – 304; II, 757 – 806; V, 926 – 977;
2. *adsunt* ultimis verbis mutili I, 1067 – 1074;

3. *adsunt* II, 508 – 510;
4. *adest* I, 124.

Secundum illa igitur indicia ad *prius* antiquae familiae genus referendi sunt

a} fragmentum Gottorpiense {G Hauercampi et **Wakefieldii**[8]},

b} fragmentum Vindobonense {Cod. CXXVIII Alteri, Q Wakefieldii}, <535>

c} Lugdunensis 2. {Z Hauercampi, M Wakefieldii},

d} Memmianus **Lambini**[9];

ad *alterum* autem antiquae familiae genus unus

Lugdunensis 1. {Y Hauercampi, L Wakefieldii}[10]

De quibus iam dicendum est singulatim.

1} Quum quattuor loci I, 735 – 785 etc. in Lugdunensi 2. non suis sedibus sed in fine codicis eadem, quae reliqua exaravit, manu scripti inveniantur, Hauercampus I, 735 – 785 et II, 253 – 303 „in Lugdunensi 2. desiderari“ dixit nullasque ad centum illos versus attulit Lugdunensis 2. varias scripturas; ad V, 926 – 977 scripturas Lugdunensis 2. attulit quidem, de loco vero quo ii versus in isto codice collocantur, tacuit; solos II, 756 – 806 recte tradidit suo loco non apparere „sed in fine ascriptos inveniri eadem manu.“

Ad Gottorpiense autem fragmentum quod attinet, verba collationis Vossianae[11] ad I, 734 haec: „post hunc versum sequitur v. 786“ recte reddidit Hauercampus {ad 1, 729} sic: „in Gottorpiensi a v. 734 – 786 est hiatus.“ Similia vero verba eiusdem collationis ad II, 252: „post hunc versum sequitur v. 305“ ita scilicet interpretatus est ut „Gottorpiensem post v. 252 inserere v. 305“ diceret, ne eo quidem erroris admonitus, quod ad quinquaginta illos versus nullam e Gottorpiensi allatam invenit variam scripturam. – Ex his Hauercampi erroribus nescio quae consectaria esse voluit **Forbiger**[12] dissertat. de Lucret. carmine p. 91 annot. 55.

2} Ad I, 1067 – 1074 nil de Gottorpiensi et Lugdunensibus dixit Hauercampus; quo ex silentio posteriores editores collegerunt versus illos sicut eos edidit Hauercampus in tribus illis *antiquae* familiae libris inveniri, quum re vera omnes horum versuum exitus ex coniectura Avancii sint suppleti. Madvigius {Op. I, p. 309} autem, **Siebelisius**[13] {Bergk. Ztschrft. f. Alterthw. a. 1844[14], p. 788}, **Purmannus**[15] {Quaest. Lucr. Spec. p. 18} mutilationem horum versuum, quam etiam in

secundo antiquo genere reperiri, a priore autem totos versus abesse vidimus, adeo inter indicia *novae* familiae recensuerunt.

3} II, 508 – 510 in utroque Lugdunensi deesse dixit Hauercampus, quum adsint in Lugdunensi 1.

4} I, 124 in solo Lugdunensi 2. deesse dixit Hauercampus, quum etiam in Gottorpiensi non inveniatur.

Tanta quum appareat in Havercampo negligentia, in posterum scripturas Lugdd. et Gott. simpliciter, quales ipsi repperimus, apponemus, Havercampi autem errores missos faciemus, nisi ubi ipsius disputationis tenor contrarium postulabit. <536>

§ 1. De priore antiquae familiae genere

De fragmento Gottorpiensi

Inter libros msptos bibliothecae Gottorpiensis[16] exstabat olim carminis Lucretiani fragmentum usque ad l. II, v. 455 pertinens[17]. Id quum pridem una cum reliquis locupletissi mae illius bibliothecae[18] copiis perierit[19], ipsius vice fungi necesse est collationes ab aliquot saeculi XVII. hominibus confectas, quarum *praeter* Vossianam et Guelferbytanam[20], quas solas novit Forbiger {praef. edit. Lucr. p. XLIII} nobis afferendae sunt quattuor.

α} Vossiana collatio reperitur in bibliothecae academicae Leidensis {mscpt. Vossian. 228} libello, in quo varia quaedam continentur, ex codicibus Regiae potissimum bibliothecae transscripta. Quem libellum quum ipse tractarem, reliqua quidem omnia Isaaci Vossii, quam aliunde cognoveram, manu, Gottorpiensis vero collationem alia eaque ita rudi scriptam inveni, ut non a Vossio ad ipsum *codicem* facta, sed in usum Vossii ab imperito homine transscripta uideretur ex alia *collatione*. Ea fuit, nisi fallor, Gudiana[21]. Nam iisdem fere verbis, quibus Gudiana {v. infra}, haec de qua agimus Vossiana inscribitur his:

UETERRIMUM FRAGMENTUM GOTTORPHIANAE BIBLIOTHECAE <537>

„Ed. Raphelengii 800 aut 900 annorum in 8°."

{i. e. Gifaniana ad quam facta est collatio.}

A Vossio non collatum fuisse fragmentum Gottorpiense etiam ex ipsius epistola quadam colligi potest, qua Nicolao Heinsio haec scribit {Burmanni Syllog. epist. T. Ill, p. 585}:

> „Multum gaudeo quod catalogum transmiseris mss. codicum qui adservantur in bibliotheca ducis Holsatiae. Videram olim magnam eorum partem, sed *propter festinationem ipsa etiam nomina exciderant*.“

β} *Guelferbytanam* collationem sic describit Eberlus {Biblioth. Guelf. codd. Gr. et Lat. classic, p. 107 n. 540}: „Lucretii vetustissimum fragmentum Gottorpianae bibliothecae 800 aut 900 annorum collatum ad edit. Raphelengii in 8°“; ipsa collatoris verba leviter ut videtur mutata exhibens. „Manu“ autem „Gudii varias lectiones enotatas“ quum dicit Ebertus, pugnare videtur cum Madvigio, qui „*ipsam* accuratam M. Gudii codicis Gottorpiensis collationem in bibliotheca universitatis Hauniensis servari“ tradit {Op. T. I, p. 322}.
γ} Aliam Gottorpiensis, una cum duorum Lugdunensium et Modiani codicis, collationem coniecturasque Nicolai Heinsii ascriptas inveni in margine tertiae editionis Lambinianae Parisiensis, quae asservatur in bibliotheca academica Leidensi {libr. Hemst, 55}. Possidebat olim librum, quod nomen primae paginae inscriptum testatur, P. Burmannus, ad quem quum multae Nicolai Heinsii schedae pervenerint[22], ex iis quum Heinsii conjecturas tum Lugdunensium[23] et Gottorpiensis <538> collationes ab Heinsio factas in suum exemplum transscripsisse videtur Burmannus. Ab ipso enim Heinsio collatum fuisse fragmentum Gottorpiense probant ipsius verba, quae ex epistola ad I. F. Gronovium data, quum ad bibliothecae Gottorpiensis historiam cognoscendam faciant, integra opponere liceat. Sunt autem haec {Burman. Syllog. T. III, p. 506.}:

> „Gaudeo vehementer quod, Italia Galliaque perlustratis, Germanicam profectionem sibi nunc proponit Gudius, nec dubito quin in Holsatia Gottorpianam bibliothecam sit inspecturus, quae et Wouwerianos libros complectitur et alios complures in membranis exaratos, qui a Lindenbrogiis fratribus ad principem transivere. Contemplatus sum illic semel iterumque, quae non modice placerent. Sed adeo me totum sibi vindicabant Nasonis exemplaria quae ibi adservantur nonnulla, ut *praeter unicum Lucretiani fragmenti codicem* nihil horum in usus meos converterim. Etsi triumviros

amorum cum vetustis schedis a Wouwerio collatos
plurimum inter alia minime protrita gestiebam."

Hanc autem Heinsianam collationem saepe a Vossiana ita discrepare inveni, ut maiorem Heinsianae esse fidem appareret. Unum afferam. Lucr. I, 104 Vossiana pro vulgato „desciscere" habet „discere" idque tanquam Gottorpiensis scripturam protulit Hauercampus. Heinsiana vero: „didiscere", quod in antiquo aliquo codice exstitisse ostendit interpretamentum in Lugd. 1. voci „desciscere" ead[em] man[u] superscriptum hoc: „i. nescire."

Quattuor his, quarum accuratiorem habemus notitiam, addenda sunt aliarum duarum vestigia, quum ipsae ubi lateant non potuerim indagare. Earum unam possidebat Theophilus Cortius, qui {ad Lucan. VI, 114} „excerpta sua mss. Gottorp. Lucretii" affert, alteram I. A. Ernesti, qui „lectiones codicis antiquissimi Gottorpiensis sese habere" dixit Fabric. biblioth. Lat. T. I, p. 81.

Omnium illarum collationum duae tantum adhibitae sunt Lucretiano carmini emendando, Vossiana et Guelferbytana. <539> Utramque eadem negligentia tractavit Hauercampus; Guelferbytana post Hauercampum etiam Orellius {in Eclog. poet. latin. ed. sec.} usus est tam incuriose ut neque maioris lacunae vv. I, 735 – 785 faceret mentionem {v. Ecl. p. 16}, neque I, 124 deesse, I, 45 autem sic mutilatum scribi: „Quod superest ut vacuas auris" annotaret {v. Ecl. p. 13, 11}.

Etsi igitur apparet, quid in ipso Gottorpiensi exstiterit, accurate cognosci non posse nisi ex iis collationibus, quas ad ipsum codicem factas esse constat, i. e. ex Gudiana, sive ea Guelferbytana est sive Hauniensis, et ex ipsis Heinsii schedis: tamen has quum mihi non contigerit nancisci, in Vossiana et Burmanniano Heinsianae apographo fuit acquiescendum. Atque possumus sane vel sic tale de Gottorpiensi iudicium facere, ut quam de illius praestantia, omnes alios codices superante, opinionem conceperunt editores[24], nimis benignam dicamus. Ad aetatem enim quod attinet, saeculo XVII. annorum 800 aut 900 fuisse dicitur Gottorpiensis i. e. saeculo IX aut VIII exaratus. At vero eiusdem aetatis esse duos Lugdunenses, quum eorum perlustratio docet tum Nicolai Heinsii, viri msptorum aestimandorum imprimis periti, testimonium comprobat. Ille enim ubi, in epistola Holmiae m[ense] Febr[uario] A[nno] 1662 ad Iohannem Schefferum data, amicum avertere studet a superstitione ista, quae sordibus librariorum pertinaciter adhaeret, inter alia, quibus coniectandi libertatem tuetur, exempla affert etiam hoc {Burm. Syll. T. V, p. 21.}: „Lucretii tria

exemplaria, ante annum DCCC exarata, mihi contigit pervolvere. Parum nihilominus auxilii doctissimo poetae huic {sic! leg. hinc} a me latum est." Quae tria exemplaria quum alia esse non possint nisi Gottorpiensis et Lugdunenses {v. p. 537 annot.}[25]: apparet ab Heinsio, qui ipsum Gottorpiensem inspexerit, eidem hunc aetati ascriptum fuisse cui Lugdunenses. <540> In omnibus vero, quae paullo gravioris sunt momenti, scripturis[26] ita cum Lugdunensi 2. semper consentit Gottorpiensis, ut si non minor, certe haud maior tribuenda videatur auctoritas fragmento illi, cuius scripturae per collatores nobis traduntur, quam ei libro, quem neque aetate neque bonitate inferiorem nostris licet oculis usurpare, Lugdunensi 2.

Etiam minorem quam Gottorpiense aliud affert fragmentum, ut nunc quidem res est, utilitatem, quod est

Vindobonense

Id enim ad prius antiquae familiae genus pertinere, hodie demum ex diligentiore Poeschelii descriptione, quain protulit Purmannus l[oco] l[audato] p. 15 et 16[27] intelligitur. In Endlicheri enim catalogo codd. phil. lat. biblioth. Palat. Vindob. {p. 54 n. CXI} haec tantum leguntur:

> „Cod[ex] m[anuscriptus] membranaceus saeculi X. foliorum 22 in folio a diversis manibus binis columnis exaratus.
> I. f[olio] 1 – 8 Rufi Festi Avieni Aratea et Prognostica.
> II. f. 9 – 14 T. Lucretii Cari de rerum natura lib. I {sic! leg. II}[28] v. 641 – lib. III. v. 622.
> III. f. 15 – 18 T. Lucretii Cari de rerum natura lib. VI v. 742 – v. 1284.
> Ab alia manu:
> IV. fol. 18 – 22. Juvenalis Satira I – V, abrumpitur v. 96."

Iam illa, quae nihil continent, quo possit dignosci codicis genus, ita supplentur in Purmanni libello {I 1.}:

> „Codex a fol. 9, a, 1 – 9, b, 1 med. versus continet L. II, 642 – 754; sequitur v. 806 – 1171 {fol. 11, b, 1 med.}; extremus v. verbis his excipitur: Titi Lucretii de rerum natura liber II explicit. Incipit lib. II.

> Sequuntur deinde v. <541> L. III, 1 – 621. Desinit fol. 14, b, 1. In nova plagula sine ulla inscriptione notave primus v. est VI, 743 {quinque priores versus ab initio evanidi sunt} atque leguntur tum deinceps relicui sexti libri versus quorum ultimus {f. 17 b, 1} verbis praecedit his: Titi Lucretii Cari de rerum natura lib. VI explicit Lucre ... sesund ... {Relicua Poeschelius legere non iam potuit[29]} – Iam eadem plagula sequuntur II, 751 – 803, quos versus supra omissos esse vidimus[30], et V, 926 – 974; sequenti plagula {f. 18, a 1 et 18, a 2} 1,753[31]} – 784 et II, 253 – 300. – Ad v. L. I, 755[32]} signum adpictum est, quo sine dubio, ut lacunam expleamus, monemur."

Ex his igitur, quamquam aliquoties vel Poeschelii vel Purmanni vel typothetarum culpa in numeris erratum est, hoc saltem luculentissime apparet: quattuor istis quinquagenorum versuum lacunis, quod est *prioris generis* indicium primarium, etiam Vindobonensis codicis continuitatem interruptam fuisse, atque adeo in fine codicis suppleri istas lacunas *prorsus eodem*, eoque perverso, *ordine*, quo in Lugdunensi 2. id factum esse videbimus. Quo vero maior iam enituit fragmenti Vindobonensis praestantia, eo gravius dolendum est quod omnis eius usus ex sola pendet fide seu potius stupore Alteri, qui quum Viennae 1787 Lucretianum carmen secundum codicem aliquem interpolatum ederet,

> „vitia, quae in fragmentis quibusdam Lucretianis codicis antiqui chartacei principio saeculi XIV exarati continentur, iis hominibus adiunxit, qui codicum manuscriptorum vitiis delectari consueverunt" {p. IV}.

Quo in negotio ita versatus est, ut per centum versuum spatium nullam variam scripturam annotaret[33], tum ubi inciperent desiverentve fragmenta omitteret indicare[34], denique „*chartaceum* <542> saec. XIV" diceret librum, quem „membranaceum saec. X" esse vidimus. Donec igitur accuratior collatio in publicum edita erit, nullum pene usum habet fragmentum Vindobonense.

Atque hactenus quidem de fragmentis[35]. Sequitur ut disputetur de codice

Lugdunensi 2

Lugdunensis 2. asservatur in bibliotheca academica Leidensi {mscpt. Lat. Voss. 94}, membranaceus, formae quadratae {2 ⅓ palm. latitud. 2 ½ palm. longit.} foliorum 69[36]. Quaeque pagina duas habet columnas, quaeque columna 26 vel 27 vel 28 versus. Foliorum 44 {Lucr. lib. V, v. 214 – 318} et 45 {Lucr. V, 105 – 213} ordo inversus est negligentia bibliopegi. Inde a fol. 68 a col. 1 lin. 10 scripti sunt eadem manu quattuor illi loci qui in ipso codice desunt, hoc ordine: II, 757 – 806; V, 926 – 977; I, 735 – 785; II, 253 – 304. – Primis tribus versibus columnae primae paginae primae atris litteris maioribus scripta sunt haec:

T ……. DE PKISICA RERU
……. ORIGINE UL EFFECTU
LIBER PRIM … INCIP .. F [37] <543>

Neque in singulorum librorum neque in totius carminis fine ulla reperitur subscriptio, sed semper ibi vacant lineae, quae vacatio etiam in ordine versuum reperitur iis locis, ubi in Lugdunensi 1. rubris litteris maioribus scribitur capitis index. In solo quarto libro in hoc quoque, de quo agimus, codice Lugdunensi 2. aliquoties tales indices rubris litteris maioribus scribuntur. – Inde a quarto libro singulis libris praeponitur capitum syllabus atris litteris minoribus scriptus.[38]

Membranarum aspectus et literarum conformatio non post saec. IX scriptum esse librum arguere videntur.

Hunc igitur Lugdunensem 2. possidebat olim I. G. Vossius[39]. Is commodavit librum l[audatum] F. Gronovio[40], qui Lucre tii editionem moliebatur. Manifesto igitur errarunt Wakefieldius et Forbiger {ad V, 678}, qui vetustum Gronovii codi cem alium putarunt[41] ac Lugdunensem 2. A patre Vossio <544> pervenit liber hereditatis iure ad filium Is. Vossium, huiusque cum reliquis libris in Leidensem bibliothecam est delatus. Altius vero repeti poterit huius Lugdunensis 2. historia, si mea de Bertiniano Lambini codice sententia probabitur.

De Bertiniano codice Lambini

Codicum, quibus Dionysius Lambinus usus est quinque: Bertiniano, Memmiano, Vaticano, Faerniano, Tettiano, optimos et antiquissimos fuisse Bertinianum et Memmianum quum scripturarum, quas attulit Lambinus, comparatio docet[42], tum ipse Lambinus eo quo scripturas attulit modo significavit[43]. Ac de Bertiniano quidem codice, qui nunc

nostra interest, <545> „eruditum lectorem“ certiorem fecit Lambinus {p. XXIII ed. tert. Francof.} ita:

> „Ex coenobio D. Bertini – est autem hoc coenobium in oppido D. Odomari non longe a Morinis – olim ad P. Gallandium ipsius rogatu Lutetiam missus est deinde Adriano Turnebo a P. Gallandio eius copia facta est[44]. Atque ego, ne mentiar, Berlinianum codicem, quem in scholiis meis saepe commemoro, non vidi, sed librum Adriani Turnebi e formis plumbeis expressum cum illo exemplari mscpto diligentissime et accuratissime usque ad librum sextum dumtaxat comparatum habui quamdiu volui, eumque, quia Berliniani codicis scripturas omnes dissimiles et diffe– rentes a vulgatis summa fide imitatas continebat, Bertinianum nominavi.“

Iam indiciorum, quibus *prius antiquum genus* insigni tum diximus, hic Berlinianus liber aperte prae se fert duo. Versum enim I, 124 *non dissimulat* Lambinus abesse a codice Bertiniano et Memmiano, neque magis I, 1067 – 1074 in iis adfuisse evidentissime colligitur ex Lambini verbis, quam vis negligenter sint scripta, his:

I, 1067 finxerit error} „Sic habent tres libri mspti. Vulgati autem omnes: *parturit error* quae lectio conficta et supposita est; a duobus aliis msptis absunt sex versus, qui *deinceps sequuntur*.“ Etenim quum *tres libri* in quibus exstaret v. 1067 *finxerit error*, ad interpolatam familiam pertinuisse inde appareat, quod etiam in secundo antiquo <546> genere mutilus scribitur v. 1067 sic: *sed vanus stolidis haec*, interpolati autem sint ex quinque Lambinianis codicibus hi tres: Vaticanus, Tettianus, Faernianus, relinquitur ut „duobus aliis msptis, a quibus absint sex versus“ significentur Bertinianus et Memmianus. Ipsum vero versum 1067 in his duobus codicibus, Bertiniano et Memmiano, non adfuisse, quamquam „de sex tantum qui *deinceps* sequuntur“ dicit Lambinus, quum ex ipsius annotatione intelligatur – neque enim afferre potuit ad versum 1067 illorum duorum codicum scripturas – : haud dubitandum videtur quin etiam v. 1074 defuerit, atque ita eadem octo versuum lacuna exstiterit in Bertiniano et Memmiano, qua prius antiquae familiae genus agnoscitur. – De reliquis indiciis, quae, quum duo inventa sint, non defuisse per se est consentaneum, ita tacuit

Lambinus, ut certe contrarium ex eius annotationibus nullo modo possit probari. In II, 508 – 510 enim nil omnino annotavit, atque quattuor illas quinquagenorum versuum lacunas, quum in line codicum Bertiniani et Memmiani, sicut factum est in Lugd. 2. et Vindobonensi, ex aliquo secundi antiqui generis codice expletas fuisse veri sit simillimum, commemoratione indignas habere potuit Lambinus.

Ad idem igitur librorum *genus*, ad quod Lugdunensem 2. referendum esse Bertinianum quum ex his indiciis sit certum: *unum eundemque librum* esse Bertinianum et Lugdunensem 2. quum ex miro longe plurimarum scripturarum consensu, tum inde potissimum colligo, quod omnes, quas ex Bertiniano attulit Lambinus *secundae manus* lectiones, in Lugdunensi 2. quoque *secunda manu* ascriptas repperi. Apponam Lambini verba et Lugdunensis 2. scripturas, ut facilis sit comparatio.

Lucr. I, 272 edidit Lambinus: „*verberat incita pontum*“ haec annotans: „in Bertiniano: *cortus* ad quem locum emendator quidam ascripserat: *corpus.*“

p

Iam in Lugdunensi 2. sic exstat: *cortus.*[45] <547> Porro I, 543 primus scripsit Lambinus, quod inde ab eo in omnes editiones recte est receptum: „*de nihiloque renata forent*, ad hanc scripturam a codicibus manuscriptis quasi *manu ductum*“ sese professus

> in quibus partim est scriptum *de nihiloque rata*, partim *quae ranta*, partim *quae nata*, ex qua postrema scriptura alii fecerunt: *de nihilo quaesita*, ut habent omnes fere vulgati codices, alii: *de nihilo quoque nata*, quae tamen probabilis lectio est, *alius nescio quis in codice Bertiniano reposuerat: de nihiloque creata*.“

Inveni in Lugd. 2. haec: De nihilo quaeranta forent.[46]

l‘ q; creata forent.

Denique III, 979 in tertia editione sic scripsit Lambinus:

> „Nec quicquam[47] in barathrum nec tartara *decidit* atra: annotationem primae editionis, in qua vulgatum verumque *deditur* retinuerat, repetens hanc: „ad oram libri Bertiniani ascriptum erat a nescio quo emendatore: *decidit* in ipso contextu scriptum *dedit.*“

Vbi Lugdunensis 2 sic exhibet: dedit[48].

His igitur argumentis commotus qui Bertinianum et Lugdunensem 2. nihil esse nisi duo eiusdem libri nomina mecum putaverit, is non solum paucas istas scripturas, quas a Lugdunensi 2. discrepantes ex Bertiniano protulit Lambinus, nullius pretii habebit, quippe quae ex negligentia vel Lambini vel eius, qui codicem cum Turnebiano exemplo contulit {v. p. 545} sint ortae, verum eliam hoc sciet: Lugdunensem 2., antequam in Gerardi Vossii potestatem pervenerit, in „coenobio D. Bertini, quod est in Oppido D. Odomari“ <548> fuisse asservatum. Illius autem rei scientia quale ad nostram disputationem habeat momentum, ex iis, quae de Modiano codice iam sunt exponenda, apparebit.

De codice Francisci Modii

Modiani codicis mentionem primus fecit Ianus Mellerus Palmerius, ubi scripturam Lucr. VI, 349: *quia transviat ignis* his defendit {Spicileg. c. 1. Gruter. Thes. T. IV, p. 614}: „Sic in v. c. {vetere codice} docti adolescentis mihique amici Francisci Modii.“ Tum Nicolaus Heinsius Lucr. VI, 855:

Quippe ubi sol *udum* contrectans corpus aquai

ut scribatur suadens, nam *udum* inquit {Advers. p. 103} „Francisci quoque Modii codex, cuius excerpta penes me sunt.“ Quorum Heinsianorum verborum fidem non addubitasset Wakefieldius[49], si in epistola quadam Graevii ad Heinsium data haec legisset {Burm. Syllog. T. IV, p. 77}:

> „Excerpta codicis Coloniensis Italici Silii *Modium* collegisse nullus dubito. Certum huius rei non solum *Lucretius meus iubet esse quem vidisti*, sed et Martialis, quem eadem manu cum membranis collatum habeo.“

Omnis vero dubitatio eo tollitur, quod in margine editionis tertiae Lambinianae, cui Heinsianas colla tiones a Burmanno ascriptas esse supra {p. 537} dictum est, etiam huius Modiani codicis collatio usque ad librum V reperitur. Qua pertractata, non solum ad *prius* antiquum genus referendum esse Modianum codicem intellexi {omnia enim huius generis signa in eo apparent}, verum etiam in omnibus fere

scripturis cum Lugdunensi 2. prorsus consentire[50] deprehendi. Tanta in similitudine ut de iis Modiani <549> scripturis, quae a Lugdunensi 2. differre videntur, caute iudicetur, reputandum est: primum non constare ad quamnam editionem[51] codicem suum contulerit Modius, tum nos apographo tantum Modianae collationis uti, denique ipsum Modium in aliis libris msptis conferendis negligentiae culpam minime effugisse. In Livio enim edendo qualem se gesserit Modius, aperuit Drakenborchius[52], neque accuratius Coloniensem Silii codicem ab eo fuisse tractatum testatur Nicolaus Heinsius.[53]
Verum de hoc Lucretiano Modii libro ut certiora indagemus, adeundae videntur ipsius Modii Novantiquae lectiones {Grut. Thes. T. V}, in quibus conscribendis eum uti potuisse codice Lucretiano inde apparet quod p. 251 Palmerii Spicilegia affert[54], in Palmerii autem libro primam Modiani codicis mentionem factam vidimus. Attamen consilium suum ex quo „sibi rem esse noluit cum primi census scriptoribus, sed qui sequuntur primos“ {p. 71} tam constanter per totum librum tenuit Modius, ut multos quidem Silii, Lucani, Calpurnii et similium, nullum vero Lucretii locum ita tractaret ut codicum scripturis afferendis immoraretur. Aperto igitur quamvis destituamur testimonio, tamen de vestigio aliquo <550> inveniendo nondum est desperandum. Atque tale vestigium mihi visus sum invenisse p. 109, ubi bibliothecas quas perlustraverat recensens haec scribit Modius:

„Praeter excussas apud nos bibliothecas olim nobiliores Thosanam et Dunensem in Flandria, *Bertiniensem in fano S. Audomari* et ad idem fanum Claremaressensem – praeter nuper lustratas Coloniae Agrippinae, eos praeterea – virorum emplissimorum gratia – libros utendos impetravi ex quorum collatione non parum videor mihi – in publicum profuisse. Ex his omnibus tamen nulla aeque conatus nostros adiuvit atque ea, quae est in Metropolitana Coloniensium ecclesia non tam librorum copia, qua *Bertiniensi* longo intervallo cedit, aut bonitate, qua *Bertiniensis* eadem – aequum nacta iudicem non sit inferior. Sed quod illa potissimum volumina in Agrippina bibliotheca exstarent, quae maxime facerent studiis meis.“

Iam hoc vestigio indagato, singula, quae adhuc invenimus, breviter comprehendamus:

1. Habuerunt Graevius et Heinsius exemplum Lucretianum, cui codicis alicuius scripturas ascripserat Modius.

2. Huic Modiano codici mira intercedit similitudo cum Lugdunensi 2.
3. Lugdunensis 2. aliquando in bibliotheca „D. Bertini in oppido D. Odomari“ asservabatur {v. p. 547}.
4. „Bertiniensem bibliothecam in fano S. Audomari“ excussit Modius.

His igitur indiciis nixus utrum recte mihi persuaserim *eundem esse Modianum atque Lugdunensem 2.* decernant periti iudices.

Bis pro libris varia tantum eiusdem libri *nomina* sese nobis obtulerunt. Nunc numerum *prioris* antiqui generis augere licet vero libro

Memmiano Lambini

quem ad *prius* antiquum genus pertinere supra {p. 546} demonstratum est. Eum ex bibliotheca Errici Memmii utendum <551> accepit Lambinus et „pervetustum“ dicit {epist. nuncup. ad Memm. ante lib. I.}. Plurimae quas ex hoc libro scripturas protulit Lambinus cum Lugdunensi 2. consentiunt; sunt vero haud paucae quae discrepent, in quibus quid Lambini negligentiae tribuendum sit tum demum certo poterit iudicari, si quando liber ille, cuius latebras non potui indagare[55] denuo in lucem erit prolatus excussusque diligenter.

Iam percensitis prioris antiqui generis libris, quorum quidem notitiam habemus, omnibus, quum Bertinianum et Modianum eosdem esse intellexerimus atque Lugdunensem 2., Memmianum autem nondum diligenter esse excussum, Gottorpiense et Vindobonense fragmenta, ut sint diligenter excussa, in longe maiore carminis parte nos destituere: patet instar totius huius prioris antiqui generis nobis habendum esse solum Lugdunensem 2.

§ 2. De secundo antiquae familiae genere

De codice Lugdunensi 1

Lugdunensis 1. asservatur in bibliotheca academica Leidensi {mspt. Voss. 43.}, membranaceus, formae maximae. {3 ½ palm. longit. 2 ⅓ palm. latit.}. In quaque pagina scripti sunt 20 versus. Constat ex

quaternionibus 25, qui usque ad quat. 20 incl. in fine octavi cuiusque folii eadem, quae librum exaravit, manu sic sunt insigniti:
| | | Q 1 | | | Q II | | | etc. Quat[ernio][56] 1 septem adsunt folia <552> et vestigium primi; quat. 6. item septem folia et vestigium quinti; quatt. 7. et 14. septena folia et vestigia quaternorum; quat. 25. septem folia et octavi vestigium; quat. 21. autem quinque tantum adsunt et vestigium sexti, ita ut ternio fuisse videatur; ultima huius ternionis pagina vacat.

Vel ex eo, quod quaterniones 20. priores tantum insigniti sunt numeris, quaternionis autem vel potius ternionis 21. ultima pagina vacat, colligere licet hoc, quod aliorum argumentorum ope certissime confirmatur: compositum esse hunc codicem ex duabus diversae aetatis partibus, quarum prior usque ad quat. 21. incl. {– fol. 158, Lucr. VI, 78} altera inde a quat. 22. {fol. 159. Lucr. VI, 79} usque ad finem libri pertinet. Atque alteram quidem illam partem priore antiquiorem esse quum membranarum aspectus literarumque conformatio ostendit, tum inde apparet, quod in priorum quinque libro rum subscriptionibus, quae sic sese habent: TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA LIB. ·I· {·II·III·IIII·V·} EXPLICIT. „Lucretii“ scribitur geminata i, simplici vero in sexti libri subscriptione hac: TITI LUCRETI CARI DE RERUM NATURA LIBER ·VI· EXPLICIT LEGE FELICITER. AMEN. Huc accedit quod prioris partis folia ab ea quidem manu, quae versus exaravit, nulla instructa sunt inscriptione, sed in paucarum tantum paginarum frontibus a longe recentiore manu allita sunt haec: LUCRETII lib. II etc., in posterioris vero partis foliis quaeque pagina versa, eadem manu, quae versus exaravit, inscribitur: LUCRETI, quaeque pagina recta: LIB. VI. – Ante priorem igitur partem sola exstabat altera; eam quum suppleret posterioris aetatis librarius aliquis, primum implevit quaterniones 20, tum, quia reliquos versus ad quaternionem implendum non sufficere intellexit, sumpsit ternionem, huiusque, etiam deficiente versuum numero, paginam ultimam vacuam relinquere coactus est. – Iam patefacta illa Lugdunensis 1. compositione, priorem partem fortasse saeculo X ineunte, posteriorem saeculo IX ineunte scriptam esse coniicio.
Nulla reperitur neque primi libri neque reliquorum <553> inscriptio; ubicunque autem in Lugd. 2. vacant lineae, in hoc, de quo agimus, Lugd. 1. scribitur capitis index rubris litteris maioribus. Syllabi capitum inde a libro quarto singulis libris praemittuntur iidem, qui in Lugd. 2., atris litteris minoribus.

Hunc igitur Lugdunensem 1. quamvis hodie solum habeamus secundi generis librum antiquum, tamen non ea est huius generis paucitas ut ex solo constet Lugdunensi 1. alium enim secundi antiqui generis librum exstitisse atque etiam nunc fortasse exstare, ea ostendent, quae de interpolatae familiae libris msptis iam sumus disputaturi.

B. De interpolata librorum mscptorum Lucretianorum familia

De interpolatae familiae libris rectissime quidem ita iudicavit Madvigius ut omnes „unius alicuius antiqui codicis, qui circa tempora renascentium literarum in manus hominum doctorum in Italia venit, apographa“ {Op. I, p. 30} diceret. Verum et per quem et quando in Italiam perlatus sit codex ille, communis interpolatorum fons, accuratius possumus definire. Ipse enim, qui illum in Germania invenit, Poggius[57] in dialogo de infelicitate principum Nicolaum Nicoli dicentem facit haec {Pogg. Oper. ed. Argent. fol. 147 a.}:

> „Suscepit hic me {Poggium} intuens – olim diligentiam et laborem peragrandae Alemanniae librorum perquirendorum gratia, qui in ergastulis apud illos reclusi detinentur et carcere caeco, qua in re multum profuit latinis musis eius industria. Nam octo Ciceronis orationes, integrum Quintilianum, Columellam, qui antea detruncati et deformes apud nos erant, et item Lueretii partem, pluresque alios latinae linguae auctores praeclaros restituit nobis.“
> Similia dicit Poggius in oratione funebri in funere Nicolai Nicoli habita {1. I. fol. 102 b.}: „Quod autem egregiam laudem meretur, summam operam curamque adhibuit {Nicolaus Nicoli} ad pervestigandos auctores, qui culpa temporum perierant. Qua in re vere possum dicere, omnes <553> libros fere, qui noviter tum ab aliis reperti sunt tum a me ipso qui integrum Quintilianum, Ciceronis nostri orationes, Sillium Italicum, Nonium Marcellum[58], Lucretii partem, multosque praeterea e Germanorum Gallorumque ergastulis mea diligentia eripui atque in lucem extuli, Nicholai suasu, impulsu,

> cohortatione et paene verborum molestia esse litteris la etitiis restitutos.“ –

His ipsius Poggii accedunt aliorum testimonia. Francisci Barbari {epist. ad Poggi. a. 1417}[59] hoc:

> “Tu {Poggius} Tertullianum, tu Marcum Fabium Quintilianum, tu Q. Asconium Pedianum, tu *Lucretium*, Silium Italicum – tu complures alios, Bartholomaeo {de monte Puliciano} collega tuo adiutore, vel fato functos vita donastis vel longo, ut aiunt, postliminio in Latium induxistis.“

Et Landini versus „in elegia in Poggii obitum“ {Bandini Specimen litterat. Florent. T. I, p. 93.} hi:

> „Et te, Lucreti, longo post tempore tandem
> Civibus et patriae reddit {Poggius} habere tuae.“

Ex illis igitur locis quum appareat, Poggium fuisse eum, *qui* Lucretianum codicem invenerit et ad Italos pertulerit: haud minus accurate, *quando* id factum sit, discitur ex epistola quam Romae 13 Dec. a. 1429 ad Nicolaum Nicoli dedit Poggius. Ibi enim haec scribit {Lib. IV, ep. II. T. I, p. 294. 95} „Tenuisti iam Lucretium *duodecim annis et item Asconium Pedianum* et septem annis aut amplius *Petronium Arbitrum*[60]“ – „Cura ut habeam Lucretium si fieri potest“. Ergo si anno 1429 Lucretianum codicem tenuerat Nicolaus per duodecim <555> annos: sequitur ut eum anno 1417[61] acceperit, i. e. eodem anno, quo in Sangallensi bibliotheca Asconium, Quintilianum, Valerium Flaccum a se inventos scribit Poggius {lib. I, ep. V. I, p. 29 Ton.}. Neque falsus fuerit, qui a Poggio anno 1417 vel in ipsa Sangallensi vel in alia Germaniae bibliotheca inventos esse dixerit atque in Italiam transmissos Lucretiani carminis libros sex. Nam quod „partem Lucretii“ a se inventam dicit Poggius, id aut ita accipiendum videtur, ut, quum ante illum pauciores quam sex in Italia circumferrentur, ille, quamvis sex librorum codicem sit nactus, *novam* non *invenerit* nisi „partem“: aut, quod veri arbitror similius, eam opinionem secutus, ex qua plures quam sex libros scripsisset Lucretius[62], „partem“ inventam putavit, quamvis sex libros invenerit „ante se ignotos“.[63] – <556> Ad quodnam vero antiquae familiae genus pertinuerit codex ille a Poggio inventus, id, quum ipse utrum perierit an etiamnunc in Itala aliqua bibliotheca lateat non habeamus

compertum, colligere nos necesse est ex eorum librorum natura, quorum communis fons fuit Poggianus codex.

Ex illorum autem librorum multitudine *accuratius* novimus hos:

1 – 3} Vaticanum, Tertianum, Faernianum, quos contulit Lambinus {v. p. XXIII ed. tert. Francof.};

4} Bodleianum, quem contulerunt Creechius {qui eum insignivit: B.} et Hauercampus {qui eum insignivit: X. v. Wakefield. T. I, p. XVHI, T. II, p. V. ed. Glasg.};

5} Vindobonensem, secundum quem Lucretium edidit Alterus Viennae 1787 {v. Endlicheri librum supra p. 540 allatum};

6 – 11} Cantabrigiensem {Ω}, Poorianum {O}, tres codices Musei Britannici {Δ, Π, Σ}, quos contulit Wakefieldius {quem vide T. I, p. XV. XVI; T. II, p. V};

12, 13} Codicem Bernensem manu Pomponii Laeti scriptum {G} et Ambrosianum {E}, quibus in „Eclogae poetarum latinorum“ editione secunda usus est Orellius.

14 – 16} Codices, secundum quos factae sunt editiones Brixiensis, Veronensis, Veneta a. 1495.[64]

In illis codicibus, qui temerariis Italorum hominum <557> interpolationibus sunt plenissimi[65], omnibus

1. scribuntur suis locis in ipsius carminis continuitate Lucr. I, 735 – 785; II, 253 – 304; II, 757 – 806; V, 926 – 977;
2. ultimis verbis mutilantur I, 1067 – 1074;
3. adsunt II, 508 – 510;
4. adest I, 124.

Quibus indiciis quum *secundum* antiquae familiae genus agnoscatur: apparet Poggianum codicem, ex quo interpolati omnes sunt descripti, eiusdem fuisse generis, cuius Lugdunensem 1. usum igitur interpolati libri solum hunc habent, ut per eos, quid in alio praeter Lugdunensem 1. secundi antiqui generis codice exstiterit, necessariis adhibitis cautionibus, possit investigari. Verum etiam ille usus propterea momenti est levissimi, quod non solum ad idem, ad quod Lugdunensis 1., genus pertinuit Poggianus, sed etiam in singulis scripturis tam similis fuit Lugdunensi 1., ut qui huius plenam habeat notitiam, Poggiani testimoniis carere possit cum Lucretianae criticae detrimento minimo. Id ita esse luculenter probant exempla, quae ex plurimis selegi pauca, atque eo quidem consilio ut falsas quasdam etiam novissimarum editionum scripturas emendandi offerretur occasio.

Lucr. V, 882 sic scripsit Forbiger:

Floret equus; puer haud quaquam *quin* saepe etiamnunc. Cod. Ambrosianus: „F. e. p. haud quanquam saepe etiamnunc“ ascriptis in margine his: „addo *sed* muto: *quanquam*“;

Cod. Pomponii Laeli etiam *saepe* omittit.[66] Edd. Brix. Veron. Venet.: „F. e. p. haud quaquam saepe etiamnunc“ deficiente versus mensura, quae ut suppleretur Avancius addidit *quia*[67], Marullus, *quin*. Marulli coniecluram acceperunt <558>

posteriores editores omnes praeter Wakefieldium et Eichstadtium, qui secundum codicem Cantabrigiensem sic ediderunt:

Floret equus; puer haud *ita* quaquam; saepe etiamnunc quam interpolationem esse eamque inscitam e reliquis interpolatis libris poterat colligi. Iam apparet in Poggiano archetypo ita mutilatum fuisse versum:

Floret equus puer haud quaquam saepe etiamnunc.

Atque prorsus eadem mutilatio reperitur in Lugdunensi 1. plenam vero scripturam, quam sequatur futurus editor[68] praebet Lugdunensis 2.[69] hanc:

Floret equus puer haud quaquam; *nam* saepe etiamnunc.

Simillimum exemplum offert VI, 769, quem versum pravissimo consilio in lectione sua omnia librorum vestigia coniungere studens Forbiger scripsit sic:

Percipe nam nunc *re de ipsa tibi* dicere conor.

Poorianus, edd. Brix. Ver. Venet. mutilo versu: „Percipe nam nunc ipsa dicere conor.“ –

Cod. Mus. Brit. Δ etiam mutiliore: „Percipe nam nunc dicere conor.“ –

Cod. Mus. Brit. Σ sine ulla sententia: „Percipe nam quae sit nec[70] ipsam dicere conor.“ –

Cantabrigiensis: „Percipe nam nunc ipsa de re dicere conor.“ –

Ex illis Wakefieldius „seligens, quod veri simillimum et venustissimum videbatur“ Marulli coniecturam exhibuit hanc:

Percipe nam*que* ipsa de re *tibi* dicere conor.

Nos vero perspicimus in Poggiano mancum exstitisse versum sic:

Percipe nam nunc ipsa dicere conor.

Atque iterum eadem prorsus lacuna invenitur in Lugdunensi 1. illam supplere studuerunt interpolatores vario successu. Pro xime ad verum accessit Cantabrigiensis. Verum enim est, quod praebet Lugdunensis 2.: <559> Percipe nam *de re* nunc ipsa dicere conor.[71]

Ex his igitur quum maximam Poggiano codici cum Lugdunensi 1. intercessisse similitudinem appareat, nunc aliis quibusdam exemplis interpolatorum librorum naturam ita aperiamus, ut eadem opera verae scripturae ab editoribus praetermissae eruantur.

Lucr. I, 45 sic cum Wakefieldio et Orellio scripsit Forbiger:

Quod superest vacuas aures mihi Memmius, et te

„nominativum pro vocativo“ tueri conatus „auctoritate librorum.“ Libri vero, quorum „auctoritatem“ antestatur sunt codd. Mus. Brit. Π et Σ. Alii interpolati, cod. Mus. Brit. Δ et cod. Pomponii Laeti, hoc exhibent:

Quod superest, *quaeso, vacuas mihi, Memmius, aures* Semot*i*m a curis etc.

Quid lateat ostendunt fr. Gottorpiense, Lugd. 2. et Lugd. 1., quos in hac scriptura consentientes inveni:

Quod superest ut {Lugd. 1: u t} vacuas auris.

Eandem igitur lacunam quum in Poggiano invenerint, variis modis eam explere studuere interpolatores imperiti.[72] Hodie vero nondum ad solam coniecturam confugiat necesse est, qui versum iam in archetypo duorum antiquorum generum mutilatum velit explere. Interpretes enim Virgilii, quos e palimpsesto Veronensi edidit Maius, in Virgilii Georg. III, 3[73] {Maii Classic. Auct. T. 7, p. 262; Serv. T. II, p. 309 ed. Lion} annotant haec: „Cetera quae vacuas tenuissent mentes} vacuas mentes scribentium intelligendum. *Sic Lucretius: Vacuas aures animumque sagacem.*“ Ascripsit et Maius et Lion: „Lucr. IV, 913.“ Ibi vero, quod non fugit Maium, exstat „*tenues* aures“, non: <560> „vacuas“, quod in solo de quo agimus loco {1, 45} reperitur. Eum igitur, eiecto antiquorum librorum *ut*, quod per plurimas occasiones potuit irrepere, sic suppleo:

> Quod superest, vacuas aures animumque sagacem
> Semotum a curis etc.

Vidimus quo modo lacunas suppleverint interpolatores; cum rarioribus vocabulis quomodo egerint luculenter disci potest ex v. 836 lib. III, qui sic scribitur in codd. Vindob. Cantabr. Poor. tribus Mus. Brit.: Praeter enim quam quod morbi est cum corpus aegrotat.

cod. Bodlei.: *Propter egrit* enim quam quod morbi est cum corpus aegrotat.

ed. Brix.: *Praeter egrit* quam quod morbi est cum corpus egrotat.

ed. Veron.: *Propter egrit* enim quam quod mor*bist* qum corpus egrotat.

ed. Venet.: *Propter egri q*uam quod morbist qum corpus egrotat.

Inde Avancius, parum curans syllabarum mensuras, hoc effecit:
Praeter enim quam quod morbis cum corpus egrotat,
neque scitius Manilius:
Praeter enim quam quod morbis cum artus egrotant.

Quos versus Gifanius, qui nullum pedem non cadere in hexametrum putabat, ita defendit, ut „creticum quinto loco“ positum diceret. Ineptiis relictis primus Turnebus {Advers. 22, 19; 30, 10}; sui „antiqui exemplaris“[74] hanc probavit scripturam:

Praeter enim quam quod morb*is* cum corporis aegrit.

quam Lambinus in tertia sua editione est sequutus, nisi quod pro *cum* scripsit *tum*. Lambinianum versum propagarunt Hauercampus, qui de Lugdunensibus codicibus nil protulit, Wakefieldius, Eichsladius, Forbiger. <561>

Iam apparet, quo „spectent turbae“ illae interpolatorum librorum, quod Forbiger quidem „non vidit“, quamvis et Lambinus et Wakefieldius intellexerint neque profecto sit in obscuro positum. Ad *aegrit* enim ascripserat aliquis interpretamentum *aegrotat*, quod quum in verborum ordinem irrepsisset, in alienum locum depulit genuinum *aegrit* totumque corrupit versum. Verum etiam Lambinianam scripturam, quamvis sententia esset aperta, tam mendosam putarunt Madvigius {Op. T. I, p. 311} et Siebelis {Bergkii Ztsch. 1844 p. 797} ut, quum de Lugdd. tacuisset Havercampus, ne corrigere quidem auderent. Quapropter testor in utroque Lugdunensi legi:

Praeter enim quam quod morbift cu‘ corporis egrit

ab illorumque auctoritate paululum discedens scribo sic:

Praeter enim quam quod morbis’t quum[75] corporis aegr*e*t.

Nam *aegret* non *aegrit* scribendum esse quum *aegresco* docet, tum ea demonstrabunt, quae de alio versu exponere liceat, ubi non solum in interpolatis libris, verum etiam in duobus Lugdunensibus idem vocabulum *aegret* locum cessit interpretamento.

Etenim III, 107 sic scriptus exstat in codd. omnibus:

Saepe itaque in promptu corpus, quod cerni*tur*, aeg*rum*; atque ita editum est ab editoribus ante Lambinum omnibus, praeter Marullum, qui ex coniectura scripsit *aegrum est*. Lambinus vero et offensus omisso

in msptis verbo *est*, et locum quem modo tractavimus {III, 836} comparans pro *aegrum* in tertia sua editione ponere ausus est aeg*rit*. Qua „audaculorum quorundam editorum“ scriptura reiecta Wakefieldius, Eichstadius, Forbiger revocarunt codicum memoriam *aegrum*. Verum solum fuisse Lambinum, qui quum alibi tum hic ausus sit sapere, probatur vetere quodam „anonymo fragmento de verbo“, quod inter „analecta grammatica“ nuper ediderunt Eichenfeld et Endlicher. Ibi <562> enim § 40 leguntur haec:

> „Sunt {verba inchoativa} quae habent principalis sui personam tertiam, quum prima non exstet. Hebesco a verbo est hebet, hebeo autem latinum non est. Lentesco a verbo lentet, Lucilius: lentet opus, sed lenteo sine usu est. Aegrescit a verbo aegret. Lucretius: Saepe itaque in promptu corpus quod cernemus[76] aegret. Aegreo tamen dictum non est.“

Quo testimonio et III, 107 pro aeg*rum* ponendum esse aeg*ret* et III, 836 non aeg*rit* sed aeg*ret* scribendum conficitur.

Interpolatorum igitur librorum qualis sit condicio quum ostenderimus, restat ut luculentis exemplis patefiat, quo modo pravis illorum librorum scripturis ad „duplicem Lucretiani carminis recensionem“[77] probandam usus sit For biger.

Lucr. I, 488 in codd. Lugdd. et Gottorp. est:

Etsi difficile esse videtur *credere* quicquam

sicut ediderunt Lambinus et Wakefieldius. Cod. Bodlei., ed. <563> Brix. Ver. Ven.: – „videtur *forsitan* quicquam.“ Vaticanus Lambini, tres codd. Musei Britan.: – „videtur *forsita* quicquam,“ quod exhibuit etiam Avancius. In margine autem Pooriani codicis talis exstat versus:

Forsitan et quicquam etsi difficile esse videtur.

Patet „forsitan“ ascriptum fuisse ab interpolatore, qui „quicquam in rebus solido corpore reperiri posse“ {v. 489} non ipsi Lucretio difficile videri ad credendum, etiam apertius voluit significare. Illud „forsitan“ quum inter Lucretiana verba esset receptum, expulsum est genuinum „credere“. Ve rum Forbiger non solum „fors ita veram Lucretii scripturam non a librario, sed ab antiquo illo secundae recensionis auclore in *credere* mutatum“ censuit, sed eliam, neglecto antiquorum librorum omnium „credere“, in editionem suam intulit interpolatum istud „fors ita“[78].

Haud minus erravit Forbiger {diss. p. 109} in eo, quod in terpolatorum librorum v. 774 lib. V discrepantias ex „duplici recensione“ repetiit. In duobus enim Lugdunensibus, sicut etiam in edd. Ver. Venet., sic mutilatus exstat versus:

Quove modo offecto lumine obire

quem ut supplerent, partim *possint* vel *possent*, partim *soleant* addidere interpolatores.

Denique perstringenda est levitas Wakefieldii et Forbigeri, qui V, 789 ex uno interpolato codice Pooriano ediderunt:

Sustulit, inde loci mortalia *corda* creavit

quum et Lugdunenses et interpolati, praeter Poorianum, omnes exhibeant mortalia *saecla*. Forbiger {diss. p. 109} adeo „haud probabile censet *saecla* ab ullo aliquo grammatico vel librario cum altera scriptura commutatum fuisse, sed *corda*, veram Lucretii scripturam, ab antiquiore illo Lucretii emendatore in *saecla* mutatum esse.“ <564> At re vera „per librarios“ mutatum fuisse *saecla* in *corda*

cor

et hac quidem via: *saecla saeda saeda corda*, docere poterat codicis Vindobonensis, quod ipse Forbiger attulit, „monstrum lectionis“: *sacreda*.

Atque haec quidem salis dicta sunto de interpolatae familiae codicibus, qui in universum cum secundo antiquae familiae genere consentiunt[79], differunt quum multis minoris ambitus mutationibus ex libidine librariorum factis, tum eo quod plurimi versus, qui in antiquis libris manci exstant, ab interpolatoribus falsa integritatis specie sunt obducti.

Caput II. De libris editis

Neque apud solos librarios stetit interpolatio. Longius serpsit per editores, inter quos et temporis ordine et multi tudine mutationum primum locum obtinet

Hieronymus Avancius Veronensis

qui primae Aldinae editioni {Venet. a. 1500} praefuit. Is igitur quum in praefatione „se corruptissimum Lucretii poema *sine antiquo exemplari* emendare ac publicare ausum fuisse“ <565> aperte ipse profiteatur: certissimum est, omnes, quae in Aldina prima a tribus prioribus editionibus Brixiensi, Veronensi, Veneta[80] reperiantur discrepantiae, nulla nisi Avanciani ingenii niti auctoritate. Verum Orellius {praef. ad Ed. p. 3} in eo, quod msptorum auxilio sese destitutum dixerit, „veteratorem deprehendit Avancium, quippe qui versus aliquot *minime subditicios*, quamvis a praecedentibus editionibus omnibus omissos II, 1139; III, 866; V, 1011 suis locis inseruerit.“ Iam quum non indicarit Orellius codices in quibus tres illos versus ipse invenisset – neque potuit profecto indicare: – cx ipsorum versuum natura §minime subditicios“ eos esse iudicarit necesse est. Videamus igitur quales sint.

Ac primus quidem II, 1139:

Quantum opus est et quod satis est natura novare

qui non ab *aliquot*, sicut dicit Orellius {p. 28}, sed ab omnibus quos novimus msptis abest, non solum et a numeris et ab orationis genere indignus est Lucretio, sed manifesto confictus ab Avancio, qui desiderabat, quod vocabulo *tantum* {v. 1138} responderet, *quantum*, neque intelligebat *tantum* {v. 1138} pendere ex *pro quam* {v. 1137}.

Non alia ratio est alterius versus III, 866:

Quos de materia nostra nova proferet aetas

quem praeter totius loci sententiam et confinxit et inseruit Avancius propterea, quod *illis* {v. 865} neutrius esse generis non vidit.

Paullo aliter vero comparatus est tertius V, 1011:

Castaque privatae Veneris connubia laeta.

Eum enim quum, Hauercampi silentio freti, in Lugdunensibus exstare putarent recenliores editores: neque interpolatorum <566> codicum neque trium editionum ante Avancium factarum, a quibus omnibus abest, habuere rationem. Atque profecto ab omni parte adeo elegans

est versus adeoque necessarius ad sententiam ceterorum absolvendam, ut per se ne sagacissimo quidem movere suspicionem possit. Verum quum etiam ab utroque Lugdunensi eum abesse invenerim, omni igitur careat msptorum auctoritate: non est dubitandum quin Avancius, ut locum in msptis lacunosum expleret, sui ingenii ope eum confinxerit, adiutus fortasse Lucretiana locutione {III, 777}: *Veneris connubia.* Quamvis igitur *sententia* ea, quam suo versu felicissime expressit Avancius, ad Lucretii verba intelligenda maxime desideretur: tamen *ipse versus* haud minus quam reliqui duo est *subditicius* et a Lucretianorum verborum continuitate segregandus.

Vacare Avancium a „veteratoris“ culpa, neque simulatam luisse, quam professus est, msptorum penuriam quum intellexerimus: iam aliquot ex maioribus mutationibus indicemus, quas partim imperite fecit Avancius, partim feliciter, iusto audacius, qui erat illorum temporum mos, omnes. Primus versuum 1067 – 1074 lib. I, qui in secundo antiquo genere mutilantur, in primo desunt, exitus ex conieclura explevit[81]; inseruit II, 164; 528; III, 98; III, 614; 835 {post 831} IV, 101, 534; V, 31, alios ab semet ipso confictos; addidit ex loco simili III, 820 – 829 {= V, 365, ss.}; transposuit IV, 251, 52, 301 – 3: quarum mutationum quum plurimas etiam novissimi editores acceperint, tum omnes fere abiere in editionem

Ioannis Baptistae Pii

quae prodiit Bononiae a. 1511 fol. repetita est Parisiis a. 1514. Ea enim maximam partem sequitur Avancii recensionem. <567> Verum haud pauca[82] etiam mutavit Pius vel ex sua coniectura, semper fere infelici, vel msptorum, quibus usus est, ope. Ac de msptis quidem suis haec tradidit {fol. 9 b, ed. Paris, qua utor}:

> „Contulimus non sine aerumnis vigiliisque diutinis codicem Veneti Hermolai[83] et Pomponi Romani[84] codicemque non omnino malum qui servatur Mantuae in bibliotheca quadam suburbana qui fuit viri non indocti gentis clarissimae Strotiorum[85]. Non defuit Philippi Beroaldi praeceptoris quondam mei nunc collegae impressus quidem sed tamen perpense examinatus, Codri quoque Grammatici Bononiensis[86], cuius copia mihi per Bartholomeum Blanchinum virum eloquii excultissimi facta est,

> Marullique poetae industria mira castigatum non defuit exemplar[87], Severo Monacho Placentino graece latinequc perdocto musarum athleta non gravatim offerente, ex quibus sicuti Zeusis {sic!} ex quattuor[88] diversis corporibus, veram et, ut arbitror, integerrimam formam Lucretio praestitimus."

Iam de illorum codicum natura certum quidem iudicium propterea facere non possumus, quod Pius in annotationibus suis nusquam singulo rum nomina attulit, sed semper vel de priscis* vel de an tiquis* vel de quibusdam exemplaribus* narravit. Attamen sive quas ab Avancianis discrepantes in verborum ordine <568> exhibuit scripturas, sive eas spectamus, quas in solis protulit annotationibus: etiam tres reliqui codices, sicut „exemplar mira Marulli industria castigatum", ad interpolatam familiam pertinuisse videntur[89]. Atque etiamsi largiamur habuisse Pium, quibus uti *posset*, antiquae familiae codices; tamen neque iis usum *esse*, neque certi quidquam de illorum codicum scripturis ex Pii editione disci posse inde apparet, quod non solum omnes, quos ab Avancio confictos esse vidimus, versus tacito repetiit, verum etiam ex „antiquis" scilicet „exemploribus" suis primus edidit versus tales {post II, 425}:

At quae levis et est iocundo praedita sensu
Haec aliquo sine seminio *breviore* creata est:

quos, si versu secundo pro: *haec – breviore* scripseris: *haud – leviore*, nil esse videbis nisi barbarum interpretamentum Lucretianorum versuum 422 et 423:

Omnis enim sensus, quae mulcet cunque, videntum <569> Haud sine principiali aliquo levore[90] creata st.

Atque haec quidem dixisse sufficiat de Pii editione, quae omnino magis est memorabilis propter commentarios[91] diffusae et confusae eruditionis plenos, quam propter Lucretiani carminis recensionem, quae eadem fere remansit, qualis fuerat Avanciana. Longius vero ab Avanciana discedere videtur ea quam exhibet


Luntina editio


Florentiae[92] a. 1512 edita a Petro Candido, qui „vetusta, quae Florentiae nactus est exemplaria, contulit, praestantissimorum vatum Pontani Marullique obelos temere inducta expungendo adhibuit. Verum ne forte incautius vetustorum exemplarium, quam promisit

Candidus, collationi aliquam tribuamus fidem, statim ipse profitetur „se Marulli imprimis amici censuram esse secutum“[93]. Atque profecto si singulas respexeris mutationes: ex coniecturis, quae nullorum antiquorum msptorum vestigiis institerint, profectas esse deprehenderis fere omnes. *Temere* autem *inducta* tantum abest ut in Luntina editione *expungantur*, ut non solum omnes retineantur, quos Avancius ex ingenio suo procuderit versus, sed adeo addantur novi {velut I, 16; 1090; 1095; IV, 400; VI, 607} quos in ullo antiquo mspto exstitisse nemo credet, qui in eos inquisiverit accuratius. <570> Sed iam interrumpenda est series editionum[94]. Quae enim commemorandae restant, earum editores non id solum quod superiores spectarunt, ut lectio carminis quolibet modo redderetur facilior, sed *antiquorum* msptorum auxilio ad veram Lucretii scripturam pervenire sunt conati. Quo in consilio persequendo quali cum successu versati sint singuli editores recentiores, et brevius et confidentius tum poterit iudicari, quum normam, ad quam Lucretiana critica redigenda videatur, significaverimus. Hic autem non incommodum fuerit eorum, quae iam indagavimus, capita paucis complecti.

1. Antiquae familiae, ad quam pertinent fragmentum Gottorpiense, fragmentum Vindobonense, duo Lugdunenses, Memmianus, Poggianus, genera sunt duo.
2. Ad prius genus pertinent fr. Gottorp., fr. Vindobonense, Lugd. 2. {= Bertinianus = Modianus}, Memmianus: totiusque huius prioris generis loco nobis habendus est solus Lugdun. 2.
3. Ad alterum genus pertinent Lugdun. 1., Poggianus, ex quo et interpolata msptorum familia et editiones inde a Brixiensi usque ad Luntinam manarunt: totiusque huius alterius generis loco nobis habendus est solus Lugd. 1.
4. Fundamentum igitur, quo hodie solo nititur critica Lucretiana, sunt duo Lugdunenses.

Stemma codicum ex nostra sententia sic fuerit delineandum:





Qui, quid novi protulerimus, scire velit, conferat illud stemma cum eis, quae disputavit Madvigius Op. I, p. 308, 309. <571>

Caput III. De fide codicum Lugdunensium

Bonos praedicamus codices Lugdunenses ab hac sola parte, quod integri sunt ab interpolationibus hominum Italorum. Ceteris enim omnibus, quaecunque libros msptos inquinare possunt, vitiis tantum abest ut vacent Lugdunenses, ut in ipsis vitiis, sed apertis illis neque Italo fuco oblitis, cernatur bonitas cadatque in Lugdunenses quoque vox illa, quam de Gemblacensi Manilii codice edidit Iosephus Scaliger: „sterquilinia esse e quibus elici possit aurum." Certa igitur in venienda ratio est, ad quam Lucretiana critica, mendosissimis illis codicibus tanquam solo fundamento nixa, ita instituatur ut neque in temeritatis neque in ignaviae incidat culpam. Quam rationem quatenus ipse intelligere potuerim, quum iam sim significaturus magis quam explicaturus: primum breviter exponam, quomodo discrimen Lugdunensis 1. et Lugdunensis 2., quos ad varia antiquae familiae genera referendos esse intelleximus, criticae factitandae adhibendum esse videatur.

§ 1. De discrimine Lugd. 1. et Lugd. 2.

In caussam graviorum illarum discrepantiarum si inquirimus, quibus prius antiquum genus differt a secundo {v. p. 534}: apparet fieri non potuisse ut quater omitterentur quinquageni versus[95] in omnibus prioris generis libris, in secundi generis <572> omnibus scriberentur, nisi in communis archetypi exemplo, ex quo prius genus fluxit, illae lacunae exstarent, abessent a secundi generis fonte. Porro quum vv. 1067 – 1074 lib. I. in priore genere desint toti, extrema tantum illorum versum verba in secundo genere: necessario colligitur, in prioris generis exemplo ita evanuisse illos versus, ut eorum vel nihil vel paucissima, quae describere non videretur operae pretium, possent legi, maximam certe eorum pariem lectu facilem exstitisse in exemplo secundi generis. Inde efficitur ut in omnibus scripturae discrepantiis, quae a pleniore mutilioreve communis archetypi exemplo possunt repeti, solum sequendum sit secundum genus, sive, qui nobis est totius secundi generis instar, Lugdunensis 1. ut hoc utar, quum extrema versus 658, lib. I. verba in primi generis libris {Lugd. 2. Gott.} sic scribantur: *contrariamu*, in secundo autem genere {Lugd. 1, interpolatis aliquot} sic: *contraria muse*: equidem haud dixerim cum Madvigio {Op. I, p. 308, 2} *muse* „factum esse ex *mu*, sed ita potius iudicarim: evanuisse

extremam versus 658 partem in prioris generis exemplo, potuisse autem *se* vel his similes litteras legi in secundi generis exemplo, atque a *muse* proficiscendum esse, ut vera scriptura indagetur[96].
Praestat igitur Lugdunensi 2. Lugdunensis 1. eo quod ex pleniore exemplo est descriptus. Praestat etiam eo, quod quum universus liber tum potissimum inde a v. 78, lib. VI, quam partem ante alleram scriptam esse p. 552 ostendimus, vulgaribus scribendi mendis longe minus est contaminatus quam Lugdunensis 2.[97]. Aliquanto autem inferior Lugdunensi 2. evasit Lugdunensis 1. hoc *casu*, quod saepe primae <573> manus scriptura, quae in Lugdunensi 2. remansit integra, prorsus erasa est in Lugdunensi 1.[98]

Atque his quidem differunt inter se libri Lugdunenses. Pergimus ad ea, quae quum utrique Lugdunensi sint communia, iam in archetypo omnium nostrorum msptorum exstiterint necesse est. Praetermissis autem scribendi mendis[99] atque ceteris minoris momenti vitiis, quibus nullus codex msptus non est corruptus, uberius dicamus de gravioribus illis corruptelis, quae magis propriae sunt librorum Lucretianorum.

§ 2. Repetitiones

Singularem prorsus, quae cum nullo neque Latinarum neque Graecarum litterarum quod noverim monumento possit comparari, speciem induunt Lucretiano carmini <574> eorundum sat amplorum locorum vel sine ulla vel cum levis sima varietate. Venerit sane cuipiam in mentem Homeri carum iterationum similitudo. Verum simul atque ipsam in stitueris comparationem locosque Homericos παραλληλεις [=Parallelen] contuleris cum Lucretianis, quos composuit Forbiger diss. p. 10 et 11: etiam huius comparationis et eventum et utilitatem esse videbis eam, ut non similitudo sed dissimilitudo appareat maxima. Quae enim in Iliade et Odyssea aut ex heroici carminis natura aut ex Homericorum carminum historia iustum facilemque habent explicatum, eorum excusatio nulla exstat in carmine didactico, quod quidem non per rhapsodorum ora posteritati sit traditum, sed litteris mandatum ab ipso poeta, qui quantopere et voluerit et potuerit eadem non eisdem verbis dicere, toties tam feliciter ostendit[100]. Qua autem via repetitiones istae molestissimae, quas qui prudens sit, nequaquam ipsi imputet Lucretio[101], in archetypum omnium nostrorum msptorum

pervenerint: id apertissime perspicitur ex ea iteratione, quae in nullo exstat mspto, sed editoribus debetur partim audacibus partim negligentibus.
Etenim versus 807 – 829 libri III. a loco, ubi nunc collocantur, esse alienissimos atque e libro V {v. 352 – 374} <575> translatos quum rectissime intellexerit Forbiger {diss. p. 44 – 47}, in eum Hauercampi negligentia errorem inductus est ut lib. III. vv. 820 – 829 in Lugdunensibus codicibus inesse putaret. Neque enim solus versus 829, quod tradidit Hauercampus, sed omnes novem versus inde a 820 us que ad 829 non minus absunt a Lugdunensibus[102], quam ab interpolatis codicibus omnibus, atque ab editionibus Brixiensi, Veronensi, Veneta. Primus Avancius, cui iterationes „ad emendandum Lucretium suppetias tulerunt", non solum novem istos versus in librum tertium ex libro quinto {365 seqq.} transtulit, sed ea etiam, quae in libro quinto de *mundi* aeternitate dicta sunt rectissime, ita mutavit, ut in librum tertium, ubi de *mentis* aeternitate agitur, quodammodo quadrarent. Sic enim scripsit

Lucretius, V	Avancius, III
365: mundi	820: mentis
369: rerum summa	824: mentis molem
372: possint moenia mundi	827: possit vis animai
374: coelo	829: menti

In msptis igitur quum soli exstent vv. 807 – 819 libri tertii, illi quomodo in alienum locum irrepserint facillime intelligitur[103]. Scilicet ad III, 830 – 834 ascripserat aliquis eiusdem prorsus sententiae versus libri quinti 352 – 364. Utroque enim loco commemorantur caussae, quibus, quum adsint, ex Epicurea ratione interitus rerum efficiatur, quum absint, aeternitas. Iam quum duodecim illi libri quinti versus in continuitatem libri tertii recepti essent ex margine ita, ut post III, 819 statim sequeretur III, 830: inconcinna nata est oratio. Avancius igitur, post versum 819 aliqua excidisse opinatus, etiam novem reliquos versus libri quinti inseruit et mutatis, quae <576> mutanda videbantur, id est assecuius ut haberet {v. 829} *menti*, quo referret *immortalis* {v. 830}.

Nobis[104] vero, qui a *Lucretio* post III, 806 nullis aliis interiectis positum fuisse v. 830 seqq. iam intelligimus, recte fecisse videbitur futurus aliquis carminis editor, qui vv. 820 – 829 in nullo mspto inventos eiecerit, versus autem 806 – 819 retinuerit quidem, quippe qui exstent

in codicibus, sed tanquam soli quinto libro aptos, alienos a libro tertio, obelo et asterisco notarit, ex ratione antiquorum criticorum quum Graecorum tum Latinorum.

Neque minus apertum est versus 57 – 62 libri I, qui in msptis et editionibus usque ad Marullianam post v. 44 collocantur, ab aliquo, qui „ostendere voluerit Lucretium sibi adversari, qui quum deos mortalia non curare affirmet, Venerem tamen invocet“[105] ascriptos fuisse ex libro II, 645 seqq., una cum capitis indice. Is autem index, qui in libro secundo graecis litteris propemodum recte ita scribitur in Lugd. 1.:

ΤΟ ΜΔΚΔΡΙΟΝ ΚΑΙ ΑΦΘΑΡΤΟΝ[106]

in libro primo, ut fieri solet in iis, quae ex margine in verborum ordinem recipiuntur, sic corrumpitur et in Lugd. 1. et in Gott.:

ΤΟ ΜΑΚΑΡΙΟΝ CAE ΑΡΙΤΡΑΤΟΝ

Persequerer reliqua iterationum exempla, si id aut ne cessarium esset aut tam breviter fieri posset, quam potest pro bari facile omnes molestas iterationes ex locis similibus mar gini ascriptis esse ortas. Una vero est iteratio eaque longe molestissima, in quam quum eiusmodi origo primo aspectu vix cadere videatur, facere non possumus quin accuratius de ea exponamus. <577> Etenim initio libri quarti ponuntur in omnibus msptis et editionibus viginti quinque versus iidem, quibus libro primo v. 925 – 949 exposita erat totius carminis Lucretiani ratio et natura. Iam Forbiger {diss. p. 19 seqq.} profectus ab eo, quod quartus liber solus non possit carere exordio quali quidem reliqui omnes libri sint ornati, putavit 25 illos versus a Lucretio in libri quarti initio esse positos, inde autem per secundae recensionis auctorem in librum primum translatos. Id ut probaret plurimas protulit argutias, quas singulas refellere operae pretium nemo existimabit, qui viderit Forbigerum sua via necessario eo esse deductum, ut versus 920 – 924 libri primi, qui aptissimo vinculo coniunguntur cum 25 illis de quibus agimus, hos quidem:

> 920 Nunc age, quod superest, cognosce et clarius audi:
> Nec me animi fallit, quam sint obscura; sed acri
> Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
> Et simul incussit suavem mi in pectus amorem
> Musarum: quo nunc instinctus mente vigenti
> 925 Avia Pieridum peragro loca e[t] q[uod] s[equitur],

ut tales igitur versus, quibus praeclariores in toto carmine haud facile invenias, ab interpolatore, ipso Lucretio, sive ingenium sive poeticam facultatem spectes, longe inferiori {v. supra p. 562 ann.} confictos et „quum semel libri quarti exordium libro primo infersisset, eidem callide si diis placet praefixos esse“ diceret.

Eversa igitur Forbigerana ratione, quum in primo libro ab ipso Lucretio positos fuisse 25 illos versus intelligatur: restat ut unum sumamus ex tribus his: ut aut quartum librum nullo exordio ornatum dicamus a Lucretio, contra morem quem in reliquis libris ordiendis tenuit; aut ipsum Lucretium sibi ineptam istam repetitionem indulsisse; aut ab ipso Lucretio aliud libro quarto praepositum fuisse exordium, quod casu aliquo ex archetypo omnium nostrorum msptorum sit expulsum. Atque hoc, quod tertio loco posuimus, quodque solius rationis vi aegerrime fortasse quibusdam hominibus possit <578> persuaderi, id ipsum re vera factum esse certissimo comprobare licet testimonio.

In capitum enim syllabo, qui libro quarto in utroque Lugdunensi codice praemittitur {v. p. 543 et 553} primum caput, quo *exordii* summa comprehenditur, sic se habet:

Sibi jucundissimum esse quod claram lucem
mortalibus ostendat.

Cuiusmodi quum nihil insit in 25 illis versibus, qui hodie initio libri quarti leguntur: apparet eo tempore, quo confectus est capitum syllabus ille, exstitisse exordium, quo Lucretius „sibi iucundissimum esse quod claram lucem mortalibus ostendat“ exponeret, atque id quidem talibus versibus quibus, ut consentaneum est, aliqua cum I, 925 – 949 intercederet similitudo. Hi igitur libri primi versus ascripti sunt margini libri quarti, in cuius postea continuitatem expulso Lucretiano exordio recipiebantur.

§ 3. De lacunis archetypi

Iam etiam illius maximae et molestissimae iterationis origine investigata, satis dixisse videmur de ea archetypi corruptione, qua in hoc irreperent, quae *non* scripta fuissent a Lucretio. Transimus ad contrariam corruptionem, qua factum est, ut omitterentur in archetypo quae scripsisset Lucretius.

Lacunosa esse nostra mspta omnia ita pro re confessa habuere superiores editores, ut ad nihil magis essent proclives, quam ad lacunas et indagandas, et pro virili parte explendas[107]. Contra, recentiores,

Wakefieldius, Eichstadius, Forbiger, auctoritati Lugdunensium codicum, quamvis per solam Hauercampi collationem eos cognitos haberent, ita sese <579> addixerunt, ut ad vilissima interpretandi artificia confugerent libentius, quam versus aliquos intercidisse crederent. Qua propter Lucretianae criticae incrementum, quantum non perspectis omnibus msptorum et editionum rationibus[108] fieri potuit, maximum Madvigius attulisse videtur eo, quod in disputatione „de aliquot lacunis codicum Lucretii“ {Op. I, p. 305 seqq.} conscripta memoriam quasi resuscitavit lacunarum. Verum quum etiam illa Madvigii disputatione, quae in duabus maioribus lacunis per *ratiocinationem* demonstrandis versatur, nondum effectum sit, ut quam late per totum Lucretianum carmen serpserint lacunae, intelligatur ab omnibus[109]: haud fuerit inutile lacunarum in archetypo repertarum non vestigia, sed *aperta* afferre *testimonia*, quae in Lugdunensibus codicibus nobis contigit indagare.

Inter indicia, quorum ope prius antiquum msptorum genus discernitur a secundo, posuimus illud, quod octo versus 1067 – 1074 libri primi in genere priore desunt toti, mutili sunt in secundo {v. p. 534}. Iam in Lugdunensi 1., qui nobis est secundi generis loco, sic illi scribuntur:

> Sed nanus[110] stollidis haec
> Amplexi quod habent peru
> Nam medium nihil esse potest
> Infinita denique omnino si iam
> Possit ibi quicquam consistere
> Quam quavis alia longe ratione
> Omnis enim locus ac spatium qd in
> Per medium per non medium concedere

Hos igitur mutilos versus primus, ut vidimus {p. 566}, Avancius ex ingenio suo supplevit. Avanciana autem supplementa quum in codicibus reperiri putarent posteriores editores omnes: nemo ab illis ausus est recedere, quamquam eorum aliquot neque a sententia neque a verbis commendantur. Fortasse non <580> deteriora videantur quae nobis in mentem venerunt supplementa haec:

1067 Sed vanus stolidis haec {error credere suasit,}
Amplexi quod habent perv{erse prima viai.}
Nam medium nihil esse potest, {quum summa loci sit}
1070 Infinita; neque omnino si iam {medium sit,}

Possit ibi quicquam consistere {principiorum,}
Quam quavis alia longe regione {vagari.}
Omnis enim locus ac spatium, quod in{ane repertum st,}
Per medium, per non medium concedere {debet}.[111]

In codice vero Lugdunensi 2. qui nobis est prioris antiqui msptorum generis loco, desunt octo illi versus toti, in margine autem versus 1066 appicta sunt *eadem, quae codicem exaravit, manu* haec:

†
VIII

Vnde perspicimus: † esse signum lacunae in archetypi exemplo, ex quo prius antiquum msptorum genus fluxit, repertae.

Hoc autem adiuti invenio aggrediamur versus, qui proxime sequuntur, I, 1082 – 1106, ut nunc quidem in editionibus leguntur, difficillimos. De iis post Forbigerum, qui ubique „duplicis recensionis vestigia" odoratus est {diss. p. 94 seqq.}, nuper Siebelis {Bergk. Ztschrft. 1844, p. 803 – 807} longam <581> instituit disputationem, in qua recte quidem dicta sunt sola haec: versum 1094, qui ab editionibus omnibus ante Marullum abest, esse spurium[112], porro „turbas incipere inde a versu 1095" {v. l. l. p. 805.}. Illis autem turbis, quomodocunque fieri posset, componendis non adhibuisset Siebelis contortissimae interpretationis machinas[113], si vel ipse suo Marte, quam lacunosi essent nostri codices, intellexisset – quod quidem post Madvigium non ita difficile erat intellectu – vel Hauercampus non tacuisset de codicibus Lugdunensibus. Ete nim quum in neutro Lugdunensi reperiatur versus 1094; in Lugdunensi 2. margini versus 1093 appictum est *eadem, quae codicem exaravit, manu*: † , quod lacunae signum esse intelleximus, in Lugdunensi 1. autem vacant octo lineae inter versum 1093 et versum 1095. Neque magna opus est sagacitate ut, quae deperditis versibus contenta fuerint, indagemus. Primum enim absolvere debebat Lucretius et sententiam versu 1093 inchoatam, et protasin, quae a versu 1082 incipit; tum protasi adiungere apodosin fortasse talem: Isti igitur philosophi quum „non omnia corpora in medium niti" {v. 1082} sed quaedam „a medio differri" {v. 1087} fingunt, vides, Memmi, ipsos sibi repugnare. Postremo, absolutis quae „de medio summae" {v. 1052} dicenda erant, rediit Lucretius ad „infinitatem summae" {το παν απειρον}, in qua probanda inde a v. 950 versabatur. Exorsus igitur est aliud enuntiatum, cuius in protasi sine dubio admonuit Memmium, ut summam rerum infinitam esse crederet. Atque protasi illi deperditae aptissime

respondet apodosis, quae continetur versibus 1095 – 1106. Repetit autem poeta illis versibus idem <582> fere argumentum, quod iam v. 1013 seqq. ad infinitatem confirmandam attulerat.

Haud minus certum e Lugdunensibus codicibus proferre possumus alius testimonium lacunae. Ac quantis quidem difficultatibus laboret locus Lucr. IV, 122 – 130 quum probabiliter expositum esset a Forbigero {diss. p. 61 seqq.}, eo tantum processit ille, ut „totum locum admodum suspectum haberet“ et nescio quo modo ad „duplicem recensionem“ referret. Verum post versum 125, qui in omnibus msptis et edd. Brix. Venet.[114] sic finitur:

Quorum unum quidvis leviter si forte duobus

plurima deesse ita est apertum[115], ut, quum semel indicatum sit, prolixiore non egeat demonstratione. Primum enim absolvere debebat Lucretius ea, quae de tenuitate corporum e plantis odoriferis effluentium exponere coeperat {v. 122}, quibus fortasse addidit aliorum tenuium corporum exempla[116]. Tum a digressione {v. 113 et 114} in viam rediens, de *tenui natura imaginum* {v. 109} dicere perrexit[117]. Denique pluribus explicans imaginum naturam pervenit ad v. 126 et 127. – Esse igitur lacunam in hac libri quarti parte quum ratio evincat, accedit testimonium. Syllabi enim, qui in utroque Lugdunensi praemittitur libro quarto, capita sex priora sic se habent:

I. Sibi iucundissimum esse, quod claram lucem mortalibus ostendat.
II. De simulacris.
III. De imaginibus.
IV. Quam parva sint animalia.
V. Esse item maiora.

De nubibus. <583>

Horum II. inseritur rubris litteris in utroque codice post v. 95. –
III. et IV. in cod. Lugd. 1. post v. 95 et 114; in cod. Lugd. 2. utroque loco vacat versus. –
VI. in cod. Lugd. 1. sic post v. 131: *de nubibus et simulacra gigni*, in cod. Lugd. 2. vacat versus. –
V. vero inter v. 115 – 131 neque in cod. Lugd. 1. usquam inseritur, neque vacat versus in cod. Lugd. 2. Ergo apparet eo tempore, quo confectus est capitum ille syllabus, plura exstitisse inter v. 115 – 131, quam nos nunc legimus. Verbis autem: „esse item *minora*“ {sic enim

corrigendum videtur} comprehensa puto ea, quae praeter animalia attulerat Lucretius aliorum parvorum corporum exempla.

Usque adhuc et testimoniis et ratiocinationibus rem nostram egimus. Iam uno certe exemplo experiri liceat, quid, ubi testimoniis destituamur, sola ratiocinandi necessitate possit effici.

Lib. IV, 636 seqq. poeta, cur „quod aliis triste et amarum est, aliis possit perdulce videri“, ex varia explicat atomorum positura, tum in cibis, tum in „animantibus quae cibum capiunt“. Transit deinde ad quaestionem priori cognatam, qui fiat ut idem cibus eidem homini sano videatur dulcis, amarus aegroto. Illam quaestionem ita solvit, ut morbo „totum hominis corpus perturbari et posituras principiorum“ {i. e. atomorum} „commutari“ dicat. Inde

> IV, 670 Fit prius ad sensum quae corpora conveniebant,
> Nunc non conveniant, et cetera sint magis apta,
> Quae penetrata queunt sensum progignere acerbum.
> *Utraque enim* sunt in *mellis* commixta sapore.

In versu 673 quum celeri interpretes non offenderent: primus Forbiger {diss. p. 64} recte quidem intellexit:

> „non apparere cur hic *mel* commemoretur, multo minus quo pacto versus 673 prioribus tanquam causa particula *enim* adiungi queat, neque magis explicari, quaenam sint *utraque* illa.

Ad illas vero gravissimas difficultates expediendas nil protulit nisi hoc: „sibi rationem, qua versus IV, 668 – 674 cum prioribus et posterioribus coniungantur, non videri Lucretianam.“ Verum haud paucos ante v. 673 excidisse versus etiam sine <584> longiore argumentatione unicuique iam apparere puto. In illis autem deperditis versibus quid dixerit Lucretius, sat certo colligitur quum ex universa Epicurea ratione, tum ex singulis versus 673 verbis. Attulerat enim Lucretius, nisi omnia fallunt, tanquam exemplum rei, quae sanis videretur dulcis, amara aegrotis, mei, cuius sapor amarus est ictericis[118]. Id quo modo fieret, ex Epicurea ratione facile poterat sic explicari: Sapor amarus oritur ex hamatis et asperis atomis, sapor dulcis ex levibus et rotundis {v. Lucr. II, 398 seqq.}. Porro, mobilitas rerum oritur ex levibus et rotundis atomis, stabilitas et constantia ex hamatis et asperis {v. Lucr. III,

180 seqq.}. Iam quum mellis natura dulcis simul sit et *constans* {v. Lucr. III, 192}, necesse est mel componi partim ex levibus rotundisque atomis, partim ex hamatis asperisque. Asperae autem atomi quia insunt in melle, etiam amaritudinis semina insunt. Si igitur atomi hominis in recta permanent positura i. e. si sanus est homo, magis sapit dulcia et levia elementa mellis, in icterico vero quum „perturbentur positurae principiorum“ {IV, 669}, magis sapit ille aspera et amara elementa mellis. „Utraque enim“ {IV, 673} i. e. tum elementa dulcia leviaque, tum elementa amara et aspera, „commixta sunt in mellis sapore.“[119]. <585> Sed iam expositis, quae de lacunis archetypi videbantur exponenda, finem imponamus toti huic, quae fuit de fide codicum Lugdunensium, disputationi. Cuius capita mente comprehendi sic velim:

1} Fundamentum criticae Lucretianae quum sint duo codices Lugdunenses, in illorum discrepantiis iis, quae a pleniore mutilioreve archetypi exemplo possunt repeti, sequendus est solus Lugdunensis 1.

2} Iterati versus, qui etiam in Lugdunensibus reperiuntur, retinendi quidem sunt, sed iis locis, ubi non ab ipso Lucretio sunt positi, obelo et asterisco notandi.

3} Lacunae sunt signandae.

§ 4.

Quid vero *recentiores editores* inde a Lambino usque ad Forbigerum praestiterint, quidque futuro editori reliquerint faciendum, brevissima intelligitur via, si quaerimus: num ei satisfecerint condicioni, qua neglecta ne peritissimus quidem et ingeniosissimus ullo cum fructu factitet criticam, h. e. num optimorum msptorum plenam notitiam tum habuerint, tum ea qua oportet diligentia Lucretiano carmini edendo adhibuerint. Inter omnes autem recentiores illos editores antiqua mspta ipsi soli inspicere Lambinus et Hauercampus potuerunt. Ac Lambinum quidem, qui nullum nactus est secundi antiqui generis codicem, duobus quos habuit prioris antiqui generis codicibus, Lugdunensi 2. { = Bertiniano} et Memmiano negligentissime esse usum supra {p. 544} significavimus. Hauercampus vero quum utriusque Lugdunensis collationem edidisset talem, qualem esse per totam hanc disputationem[120] ostendimus, fieri non potuit, quin posteriores editores, quibus in Hauercampi opera esset acquiescendum, suas editiones superstruerent fundamento fallacissimo. Quem defectum auxiliorum foris petendorum quantis vitiis <586> domo allatis cumularint

Wakefieldius et Forbiger, et iusta cum acerbitate aperuit Madvigius, et facile intelliget qui locorum, quos lacunosos esse demonstravimus, interpretationes Wakefieldianas et Forbigeranas voluerit perlegere.

§ 5. De carmine per ipsum Lucretium absoluto

Quo longiores fuimus in msptorum et editionum rationibus explicandis, eo brevius alteram, quae de carmine per ipsum Lucretium absoluto proposita est, quaestionem tractare nos cogit msptorum, quam ostendimus, condicio. Quaecunque enim ad illam quaestionem diiudicandam ex hodierno Lucretiam carminis habitu sumi possunt argumenta, eorum omnium vis statim confringitur eo, quod lacunosissimum fuisse communem msptorum nostrorum archetypum intellexi-mus. Solum igitur, quod indagari potuit, certum quodammodo *non* absoluti a Lucretio carminis vestigium inest in Hieronymi {ad Eusebii chron. Ol. 171, 2.} verbis his: „Lucretius – amatorio poculo in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset[121], *quos postea Cicero emendavit*, propria se manu interfecit." Cui testimonio haud leve sane pondus inde accessit, quod ea, quae de poetis latinis Eusebiano chronico addidit Hieronymus, e Suetonii *de poetis* libro sumpta esse praeclara illa Ritschelii disputatione nuper est demonstratum. Verum quamvis Suetonius tradiderit illam narrationem[122], tamen universa huius <587> quaestionis natura talis est, ut nunc quidem indicium de ea cohibere malim quam ludere coniecturis, quae semper fundamento omni carebunt, donec aliquando ex Pompeiorum fortasse cineribus aut ex Hispana aliqua bibliotheca erutus erit codex Lucretianus non mutilatus lacunis. Interim, qui criticae Lucretianae operam navare volet, et multa habebit neque levia, quae possit perficere, etiamsi integram reliquerit illam, quae est de carmine per ipsum poetam absoluto, quaestionem.

Scr[ipsi] Bonnae m[ense] Apr[ilis] a[nno] MDCCCXLVI.
Iacobus Bernays
Hamburgensis.

Corrigendum.

P. 565 praetervidi versum 1139 lib. I a Wakefieldio dici in tribus Musei Britannici codicibus exstare. Verum tali testimonio minime labefactari

ea, quae de Avancio proposui; haud facile negabit, qui vel Wakelfieldianae collationis naturam vel aetatem illorum codicum vel denique hoc reputaverit: eadem qua alium interpolatorem opera ipsum Avancium effingere potuisse versum istum ex simillimo 1150. – P. 579 v. 20 pro *manus* lege *nanus*.

Literaturverzeichnis

Bernays, J. (1847). De emendatione Lucretii. *Rheinisches Museum, 5*, S. 533 ff.

Bernays, J. (1885). *Gesammelte Abhandlungen, 2 Teile*. (H. Usener, Hrsg.) Berlin: Hertz.

Fuhrmann, M. (1999). *Geschichte der römischen Literatur*. Stuttgart: Reclam.

Greenblatt, S. (2012). *Die Wende. Wie die Renaissance begann, 3. Aufl.* München: Siedler.

Haverkamp, S. (Hrsg.). (1725). *Titi Lucretii Cari de rerum natura libri sex cum notis integris*. Leiden: von der Aa.

Lachmann, K. (Hrsg.). (1850). *Lucretii de rerum natura libri sex*. Berlin: Reimer.

Lambinus, D. (Hrsg.). (1570). *Lucretii de rerum natura libri VI*. Paris.

Martin, J. (1963). *T. Lucretius Carus. De rerum natura*. Leipzig: Teubner.

Orelli, J. C. (Hrsg.). (1833). *Eclogae poetarum Latinorum in usum gymnasiorum ,...* Zürich: Orelli&Füsslin.

Siebelisius, K. G. (September 1844). Beiträge zur Kritik und Erklärung des Lucretius. *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft*, S. 788 ff.

Usener, H. (kein Datum). Jacob Bernays. *ADB*. Von http://de.wikisource.org/wiki/ADB%253ABernays%252C%2520Jacob?oldid=2273053 abgerufen

Wakefield, G. (Hrsg.). (1813). *Titi Lucretii Cari de rerum natura libri sex*. Glasgow: Bell&Bradfute.

[1] Fundstelle: Rheinisches Museum 1847, Seite 533 ff; »Exhibita est haec commentatio Amplissimo philosophorum in Universitate Rhenana Ordini, qui proximo anno, quum futurae editionis Lachmannianae fama, nondum in his regionibus percrebruisset, de emendatione Lucretii quaestionem proposuerat. Iam mihi ex Amplissimi Ordinis auctoritate has plagulas edituro nil magis cordi est, quam publice gratias agere debitas EI VIRO, cuius rara benignitas et praeclara liberalitas inter philologos iamiam tralaticia est, IACOBO GEELIO. Ille enim concesso Leidensium copiarum usu liberrimo ipsum suppeditavit, quo haec tota nititur disputatio, fundamentum.« – Weiteres Digitalisat unter https://www.jstor.org/stable/41250927.

[2] Biographische Daten nach (Usener).

[3] (Lachmann, 1850), später z. B. (Martin, 1963).

[4] [Johann Caspar von Orelli (* 13. Februar 1787 in Wädenswil; † 6. Januar 1849 in Zürich) war ein Schweizer Klassischer Philologe (Orelli, 1833)].

[5] [Johan Nicolai Madvig (* 7. August 1804 in Svaneke, Bornholm; † 12. Dezember 1886 in Kopenhagen) war ein dänischer klassischer Philologe und Politiker.]

[6] (Haverkamp, 1725).

[7] Utor numeris Forbigeranis.

[8] (Wakefield, 1813).

[9] (Lambinus, 1570).

[10] Ut statim luculentissimo exemplo appareat et quanta negligentia in codd. Lugdd. et Gottorp. conferendis versatus sit Hauercampus et in quantos errores inducti sint ii, qui ex Hauercampi fide codices in sua genera distribuere sunt conati: videamus quaenam tradiderit vel non tradiderit Hauercampus de quattuor illis discrepantiis, quarum ope ipsius antiquae familiae duo genera nobis licuit discernere.

[11] [Isaac Vossius (* 1618 in Leiden; † 21. Februar 1689 in Windsor) war ein niederländischer Altphilologe.]

[12] [Albert Forbiger (* 2. November 1798 in Leipzig; † 11. März 1878 in Dresden) war ein deutscher Altphilologe und Lehrer.]

[13] [Karl Gottfried Siebelis (* 10. Oktober 1769 in Naumburg; † 7. August 1843 in Budissin, heute Bautzen) war ein deutscher klassischer Philologe und Pädagoge.]

[14] [in der Vorlage: „1845“]

[15] [Johann Georg Purmann (* 1. Januar 1733 in Königsberg in Bayern; † 11. Dezember 1813 in Frankfurt am Main) war ein deutscher Pädagoge und langjähriger Direktor des Städtischen Gymnasiums in Frankfurt am Main.]

[16] [Siehe https://schloss-gottorf.de/de/das-schloss].

[17] Negligenter igitur Siebelisius {quaestion. Lucret, p. 37, 48} de Gottorpiensis scripturis ad III, 160 et VI, 942 loquitur.

[18] Neque in indiculo quorundam msptorum Gottorpiensium, qui in Morhofii Polyhist. T. I, Lib. I, c. VII § 64. exstat, neque in „catalogo bibliothecae Gottorpianae in Holsatia“ qui volumine quodam Spanhemiano bibliothecae regiae Berolinensis {mss. Spanh. n°. 4} continetur, quemque mea causa amicus quidam inspexit, ullus recensetur liber Lucretianus.

[19] V. Moshemium ap. Hauercamp. praef. ed. Lucr. pag. paenult.

[20] [= au .....

[21] [Marquard Gude, auch Gudius (* 1. Februar 1635 in Rendsburg; † 26. November 1689 in Glückstadt) war ein deutscher Klassischer Philologe, Bibliothekar, Büchersammler und Epigraphiker.]
[22] V. Burmanni Vitam Nic. Heinsii {Adversariis Heinsianis praemissam} non uno loco.
[23] Nic. Heinsius quum consilium edendi Lucretii cepisset {v. praef. ad annot. in Ovid T. I, p. 6 ed. Lips.}, ipse codices Lugdunenses contulit {v. epistolam p. 539 allatam et annot. ad Ovid. met. II, 275.} Codices igitur in quibus Lucr. V, 989 „lidebant" legi {non: laedebant} testatus est Heinsius {Advers. p. 118}, sunt Lugdunenses, in quibus re vera scriptum repperi lidebant {in Lugd. 1 sec. man. i mutatum in e}, quamquam tacuit de hoc Hauercampus. Wakefieldius „quinam fuerint isti Heinsiani codices aliis edisserendum reliquit."
[24] Forbiger praef. ad ed. Lucr. p. XLI1I; Orell. Ecl. p. 19 in II, 42.
[25] De Modiano cogitari non posse, quippe quem Heinsius non „pervolverit" infra patebit.
[26] Quae usque ad II, 455 adesse possunt tria prioris antiqui generis indicia, de quibus dictum est supra, ea adsunt omnia.
[27] Purmanni libellum Vratislaviae hoc anno editum post elaboratam demum hanc commentationem accepi.
[28] Errorem typothetarum esse iam annotavit Siebelis {Bergk. Ztschft. f. Alt. 1844 p. 788}. Res aperta si foliorum confertur cum versuum numero, nunc etiam Poeschelii testimonio confirmatur.
[29] Est sine dubio inscriptio versuum qui statim sequuntur, quibus libri secundi lacuna expletur: Lucre{ti libri} secund{i versus}.
[30] Ergo non II, 751 – 803 sed 755 – 805.
[31] Leg.: 735.
[32] Leg.: 785.
[33] v. Siebel, l. l.
[34] p. IV. annot. haec tantum dicit: „fragmenta Lncretii ex lib. 2, 3, 6 a v. 743 usque ad finem." Inde orti errores Wakefieldii et Forbigeri, quos tangit Siebelis l.1.
[35] Barthius {in Stat. Theb. V, 12} *clangorem* pro *clamorem* legi vult Lucr. IV, 183 „secutus membranas veteres vel fragmentum potius." Idem {in Stat. Theb. V, 116} ubi initium Lucretiani carminis accuratius tractat, v. 4 pro „quoniam" fuisse „quondam" dicit „in membranis, quas Witebergae aliquando contulit." – Quaerant de hoc fragmento Zwickavienses, ad quos delatae esse dicuntur schedae Barthianae.
[36] Quaternionum nullum vestigium invenire potui.
[37] i. e. „T. {Lucreti Cari} de physica rerum {naturae} origine vel effectu liber primus incipit feliciter." – Supplevi quae marcore evanuerant. – Alterus {edit. Lucret, p. 336} edidit varias scripturas, quas „anonymus saeculi XVI margini editionis Lutetianae 1579 ascripsit, quae editio in augustissima bibliotheca Caesarea Vindobonensi asservatur. Ascripserat anonymus primae paginae haec: Ms. V. LUCRETIUS DE PHYSICA RERUM ORIGINE VEL EFFECTU." Vel ex hac inscriptione apparet id quod etiam ipsae variae scripturae ostendunt, anonymi „Ms. V." non fuisse „vel Vossianum vel Vaticanum vel alium V." inter quos fluctuat Alterus, sed Lugdunensem 2. Eadem enim lacuna laborat anonymi codex quam in Lugd. 2. marcore ortam videmus. *Lucretius* autem ex suo ingenio addidisse videtur anonymus ille, qui utrum Lugd. 2. appellarit *Vossianum* an *veterem*, quaerere nil attinet. – Ceterum similis originis esse videntur haec Lugdunensis 2. inscriptio et ea, quae exstat in editione Veronensi {v. ann. Hauercampi ad VI, 1284}: „de rerum primordia {sic!} natura."

[38] Qualem et quantum usum habeant tales capitum indices quum ad alias corruptelas tollendas {v. interpp. ad Lucr. VI, 891, quem versum equidem sic scribam: Quod genus indu mari 'st Aradi fons dulcis aquai} et indagandas {de quo dicetur infra}, tum ad maiorum transpositionum originem explicandam: et sua sponte intelligitur et significavit Scaliger in Manil. p. 6 et 204 ed. Argent. a. 1605. – Quare non minus imperite quam in aliis in eo egit Hauercampus, quod capitum indices quales ex „veteribus libris" i. e. ex codd. interpolatis vel vetustis editionibus exhibuerat Gifanius, ne discrepantiis quidem codd. Lugdd. annotatis, propagavit. – Neque potui non mirari Iacobum, qui nuperrimac Manilii editioni „argumenta librorum" praeposuit suis verbis comprehensa, lemmata vero, quae ex Gemblacensi codice protulerat Scaliger, ne repetiit quidem.

[39] V. Oper. omn. T. II, p. 70. a.

[40] V. I. F. Gronovii epistolas ad Cl. Salmasium datas {in Burm. Syll. T. II p. 525 – 529}. Ep. CCLXXVIII haec scribit Gronovius: {p.525} „Ecce tibi emendationum Lucretii, ad quas Domini Vossii liber msc. me manu duxit, gustum." cf. Gronovii Observat. l. III c. 5 init.: „Lucretii ms. maximi patris et nobilissimi filii Vossiorum." Ibid. c. 1. p. 334 ed. Lips.: „Lucretii membranae summi viri G. Vossii."

[41] Wakefieldium sequutus est Forbiger: Wakefieldius autem in errorem inductus est Creechii verbis his: „E vetusto codiceGronovius: *Consequiae quoque rerum sunt esc ordino certo*." Quae, quamquam id suo more non indicavit Creechius, exscripta sunt ex Salmasii epistola ad Gronovium data, qua Gronovianae epistolae CCLXXIX {l. l. p. 527} respondit. Sic autem scribit Salmasius {p. 113 ed. Lugd. Bat. 1596}: „Notas lib. V versum hunc ita scribi in vetusto codice: *Consequiae quoque rerum ex ordine certo*". Unica voce addita veram feceris lectionem: *Consequiae quoque rerum sunt ex ordine certo*. Videmus igitur „vetustum codicem Gronovii" esse librum Vossianum, cuius scripturas transmiserat Gronovius Salmasio, *sunt* autem, quod negligenter dixit Creechius in codice exstare, coniecturam esse Salmasii. – Ceterum ipse Gronovius quoque non accurate quid in Lugd. 2. exstaret tradidit. Is enim codex, sicut etiam Lugd. 1, ita exhibet versum: „Consequiae quoque iam rerum ex ordine certo." Quibus si addideris Salmasianum *sunt*, bonum habebimus versum talem: *Consequiae quoque iam sunt rerum ex ordine certo*.

[42] Huius comparationis molestum sane laborem quum defugisset Forbiger, de indole et bonitate codicum Lambinianorum e paucis illis locis, ubi Lambinus codicum lectiones accurate indicet, iudicium ferri „posse" negavit {praef. ad ed. Lucr. p. XLII}. Neque certiora de Lambini codicibus protulit Madvigius {Op. T. I, p. 308}. Nemo vero qui scripturas quas attulit Lambinus cum Lugdunensium scripturis com paraverit, incertum dicet hoc nostrum iudicium: Bertinianum et Memmianum ad antiquam familiam pertinere, tres reliquos ad novam; id quod nunc video etiam Purmannum {p. 16} perspexisse. Ceterum longissime abfuisse Lambinum ab ea diligentia, quae hodie hoc in genere iure exigitur, quum alia multa tum hoc ostendit, quod de versibus III, 614, IV, 128, 129 et similibus, quos Avancius ex ingenio suo addidit neque in ullo codice reperire potuit Lambinus, ita tacuit quasi in suis codicibus exstitissent.

[43] Velut in I,426, ubi recte scribit Lambinus, quod etiam uterque Lugdunensis exhibet: *animi*, haec annotat: „Secutus sum quattuor codices msptos, in his Bertinianum et Memmianum."

[44] „Pulverulentis" igitur et „mysticis Lucretii membranis", quas in Adversariis suis aliquoties commemorat Turnebus, hic Bertinianus significari videtur, ex quo complura, quae praeteriit Lambinus, protulit Turnebus, velut {Adv. 26, 13} Lucr. VI, 794 pro

vulgato: *pronos* ex „antiquis antigraphis“ affert: *pumos* quod etiam Lugdunenses praebent. Neque quod Lucret. II, 632 scripsit Turnebus {Adv. 5, 26}: *inter se forte catenas*, ex coniectura fecit, sicut dicit Siebelis {quaest. Lucr. p. 29}, sed, quod totus verborum Turnebianorum tenor docet, codicem msptum et quidem, nisi omnia me fallunt, Bertinianum secutus. Praeter illum in solo Lugdun. 2. invenitur: *catenas*, quod ut solet praetermittit Hauercampus. Reliqui libri omnes exhibent: *catervas*. Atque hic quoque Bertiniani et Lugdun. 2. consensus aliquid ad sententiam, quam de Bertiniano propositurus sum, probandam conferre videtur.

[45] Lugd. 1. *cortus* lineola super c sec[unda] man[us]. Ille emendator scribi voluit: *tortus*.

[46] Lugd. 1: De nihilo quaerant aforent. [über dem ae in *quaerant* ein e; über *aforent* .i. decrant]

[47] Sic rectissime Lambinus. Wakefieldius et Forbiger falso Hauercampi testimonio freti, qui in Lugdunensibus *quisquam* exstare tradiderat, illud et receperunt et „contra audaciam Lambini“ defenderunt. Immo *quicquam* et Lugdunensium auctoritas et totius loci, qui de omnibus rebus non *de solis hominibus* agit, tuetur sententia.

[48] Apparet errorem ex neglecta lineola {t‘ = tur} ortum esse. In Lugdunensi 2. aperte est: *deditur*.

[49] „Heinsius de Modii codice, *ut putabat*, malebat: *udum*.“ – Ceterum recte reiecit Wakefieldius *udum*, quamvis futilibus usus sit argumentis. Neque enim propter „elegantissimam sermonis translationem et membranarum turbam“ scribendum est *nudum*, sed quia id solum flagitat sententia. Opponuntur enim *nudum corpus aquai* {v. 855} et „subter tam crasso corpore terram“ {v. 858}.

[50] Cave igitur ne omnes, quas ex v. c. vel s. c. {vetere, scripto codice} protulit scripturas Palmerius {libr. laud.}, in Modiano exstitisse putes. Earum enim, quae a Lugdunensi 2. discrepantes attulit, nullam in Heinsiana Modiani collatione inveni. Significare videtur Palmerius Gifanii, cuius editione utebatur, et Lambini libros.

[51] Sic ipsum *udum* VI, 855, quod ex Modiano protulit Heinsius, neque in Lugd. 2. neque in ullo alio codice reperitur. At ex coniectura Marulli in omnes editiones inde a Luntina usque ad Lambinianam est receptum. Iam si harum editionum aliqua usus est Modius et levem discrepantiam annotare neglexit: apparet quo modo ex Modiano *exemplo* colligere Heinsius potuerit *udum* in Modii *codice* exstitisse, etiamsi re vera in *codice* exstiterit *nudum*.

[52] Praef. ad lect. p. LXXVIII T. 15 P. 1 ed. Studtg.

[53] Advers. p. 374: „membranas optimas Silii in Colonia Agrippina Franciscus Modius evolvit, plurimis in locis parum intellexit.“ Ep. ad Gronov. {Burm. Syll. T. III, p. 147}: „Dies iam aliquot fui in excutiendo Silio Coloniensi. Non putassem Modium – tam lautum spicilegium nobis reliquisse. {cf. ibid. p. 488}.“

[54] P. 198 – 210. Palmerii mortem flebilibus carminibus prosequitur.

[55] Neque in bibliothecae Regiae catalogo, neque in Catalogue des manuscripts de Mr. le président de Mesme {Montfauc. biblioth. biblioth. T. II, p. 1326 seqq.} Lucretianus liber affertur. Quamquam catalogus iste Montefalconianus confectus est negligentissime; velut p. 1328 B de quattuor msptis nil proditur praeter haec: «4 Manuscripts in fol. dont trois sur velin et un en papier. »

[56] Quaternio, eine Lage von vier Pergament-Bögen als eines der gängigsten Formate antiker Buchbindung (mehrlagige Codices).

[57] Zu Poggi siehe (Greenblatt, 2012).

[58] Cf. Poggii epistolam ad Nicolaum Nicoli datum m. April. 1425. {ed. Tonellis T. I p. 148}: „Hoc ego te rogo permaxime mittas etiam libellum Nonii Marcelli quem ad te

misi una cum aliis scriptum litteris antiquis.“ Falsus igitur est Ernesti {Fabric. Bibl. lat, T. II, p. 262}, qui Nonium a Poggio inventum esse negavit.

[59] v. Ernest. l. l.

[60] Petronium ex Britannia misit Poggius. V. ep. ad Nicolaum data Rom. 28 Mai. 1423 {I, p. 90 Ton.}: „Mittas ad me oro Bucolicam Calpurnii et particulam Petronii, quas misi tibi ex Britannia.“ Iam ultimam epistolam ex Britannia dederat Poggius a. 1422. {v. Tonell. I p. 84}. Anno autem 1422 si addis *septem* annos, efficitur a. 1429, quo scripta est ep. II lib. IV.

[61] Eodem hoc anno Francisci Barbari quam attulimus scripta est epistola. Neque obstat nostrae rationi quod in epistola IV, libri IV. {I, p. 303 Ton.} quae eodem quo epistola II anno 1429 scripta est, sic alloquitur Nicolaum Poggius: „Lucretium tenuisti iam *per annos quattuordecim*, eodem modo Asconium Pedianum et Petronium Arbitrum et Statium Silvarum orationesque illas, quas habes ex meis.“ Nam hoc quidem loco ad temporum rationes non accurate attendisse Poggium vel inde apparet, quod per totidem annos retentos dicit Petronium, quem ex Britannia, et Asconium, quem ex Helvetia miserat.

[62] V. Forbiger praef. ad ed. Lucr. p. XXXIII.

[63] Alterutro modo rem explicare eo cogimur, quod codicem Poggiano pleniorem inventum esse inter a. 1417 et tempus, quo interpolata mspta scripta primaeque editiones factae sunt, nusquam proditur. Certe talis plenioris codicis *in Italiam advecti* ne vestigium quidem inesse videtur in epistola quadam, quam ad Nicolaum dedit Poggius anno 1427, ut coniecit Tonellis {T. Ip.208}. Ibi quum de monacho quo dam Hersfeldensi {Hirschfeld} narrarit, qui „inventarium librorum attulit plenum verbis, re vacuum,“ inter alia addit haec: „Bartholomaeus de monte Politiano dat operam ut habeamus Lucretium; id si assequemur, tunc alia aggrediemur. Non enim est nunc de aliis libris tractandum, ne multa petendo daremus occasionem istius denegandi.“ Neque enim quid promiserit monachus Hersfeldensis neque utrum promisso steterit ex illis Poggii verbis apparet. – Ceterum non dissimulandum videtur, me non uti potuisse Mehusiano libro: „de vita Ambrosii Traversarii“ cuius auxilio fortasse accuratius tractari poterat haec de Poggiano co dice quaestio. Ex Bandini autem catalogo codd. Lat. Laurent. T. II, p. 210 cognovi codicem Lucretianum Plut. XXXV. No. XXX a Mehusio dici scriptum esse manu Nicolai Nicoli, i. e. eius, cui primo suum codicem misisse Poggium vidimus. Ille igitur codex solus inter Florentinos accuratiore dignus est collatione, donec ipse Poggianus aliquando indagabitur.

[64] Neque harum editionum ullam neque Eichstadii libellum quo „principem Lucretii editionem Brixiensem exstare confirmatur“ {Ienae 1808} mihi potui comparare. Quapropter de Brixiensi iudicium faciendum est ex sola Gerardi {T. IV ed. VVakef. Glasgov.}, de Veronensi et Veneta ex Gerardi et Forbigeri collationibus, quae hoc certe ostendunt: Brixiensem secundum codicem minus interpolatum esse factam; ad Brixiensem proxime accedere Venetam a. 1495.; infimum vero locum obtinere Veronensem, quae priusquam Brixiensis memoria erat renovata, pro principe editione habebatur. In illa enim Veronensi non solum plura menda quam in duabus reliquis, sed plures etiam lacunae reperiuntur; velut lib. IV, vv. 123 – 192, qui in Brixiensi et Veneta adsunt, desunt in Veronensi. Negligenter igitur dixerunt Alterus {p. X} „Venetam cum Veronensi in lacunis exacte convenire“ et Forbiger {praef. ad ed. p. XLVI} „Venetam a Veronensi non nisi vitiis typographicis et paucissimis correctoris mutationibus differre.“

[65] Minor quidem quam reliquorum videtur esse interpolatio Bodleiani et Cantabrigiensis. Verum etiam illos et ex Poggiano fuisse descriptos neque vacare interpolatione in errore igitur versari Madvigium {Op. T. I, p. 309} et Siebelisium {Bergk. Ztschrft. a. 1844 p. 787}, qui adeo ad idem genus, ad quod Lugd. 1., retulerunt Bodleianum, ex exemplis apparebit.

[66] De ceteris codicibus quidquam afferre neglexerunt collatores.

[67] Wakefieldius, qui Avancii editione carebat, Pio ascripsit, quae sunt Avancii. Cur vero *quia* errorem typographicum dixerit non intelligo.

[68] Neque in posterum Siebelis Lucretianum simplicis *quin* pro *quin etiam* usum probare poterit „ex satis verisimili Avancii {immo: Marulli} coniectura", id quod fecit quaest. Lucr. p. 28.

[69] De quo, ut solet, negligenter tradit Hauercampus.

[70] Fortasse *nec* ortum est ex n'c i. e. *nunc*.

[71] Hauercampus de neutro Lugdunensi dixit. Edidit vero sicut Lambinus: „Percipe namque ipsa de re nunc dicere conor."

[72] Haud maiore enim opera sine nominativo pro vocativo ponere poterant: „*et te mihi, Memmi*."

[73] Qui solus editorum afferre potuit locum, Forbiger, non attulit.

[74] i. e. Bevtiniani {= Lugd. 2.} v. supra p. 545 annot.

[75] Morbis't quum = morbis est quum {εστ' οτε}.

[76] Sic codex. Inter *cernimus* et nostrorum Lucretianorum librorum *cernitur* non decerno.

[77] Illam opinionem ad quam, tanquam ad πανακειαν omnium criticarum difficultatum, et olim confugerunt et hodie quidam confugiunt, Lucretiano carmini primus ita adhibuit Hauercampus {ad 1,11, V, 1326}, ut ab ipso poeta duas factas esse recensiones diceret. Deinde Eichstadius {de vita et carmine Lucretii p. LXXIX. ss.} „in prima recensione exhibitum fuisse" putavit „carmen, prout de manu auctoris exiisset inchoatum et rude, in altera limatum a nescio quo multisque locis politum." Denique Forbiger {dissert. de Lucretii carmine a scriptore serioris aetatis denuo pertractato} probare conatus est: „Lucretii carmen serioribus demum temporibus ab homine, sive ingenium sive poeticam facultatem spectes, ipso auctore longe inferiori recognitum permultis in locis, mutatum, interpolatum et correctum" {p. 121} „neque ante seriores Marci Aurelii annos hanc alteram recensionem perfectam fuisse" {p. 128}. Atque illud commentum argumentis, quamquam ne speciosis quidem, tamen non sine aliqua diligentia conquisitis et expositis ita exornavit Forbiger, ut, si eius opinionem everteris, simul corruant Eichstadiana et Hauercampiana. Nos igitur quum de reliquis, quae protulit ille, argumentis in tertio huius disputationis capite simus dicturi, hic ea tantum vestigia „duplicis recensionis" attingemus, quae in interpolatorum librorum scripturis sibi visus est invenisse. – De Forbigerano libro paucis, sed ita ut sibi nil eorum quae voluisset persuasisse dicerent, iudicarunt Orellius {Iahni Annall. a. 1827. T. III. fasc. IV. p. 86 not.} et Madvigius {Op. T. I, p. 321.}

[78] Lucr. II, 1059 Lugdd. praebent *frustraque coacta*; inde orta est scriptura ed. Brixiensis et Avancii *frustra quoque iacta*: atque ex illa Marullus coniecit *iactataque frustra*. Etiam hanc Marulli coniecturam inter *duplicis recensionis* vestigia retulit Forbiger diss. p. 106.

[79] Ne quis mihi eas obiiciat interpolatorum librorum ab antiquis discrepantias, quas Siebelis {Bergk. Ztschrft. p. 788} composuit tot sane et tantas, ut solis interpolatoribus vix possint imputari: dicendum est omnes illas discrepantias partim omnino non

exstare, atque Siebelisium in errorem esse inductum negligentia Hauercampi, partim non tanti, quantum iis tribuit Siebelis, esse momenti. Sic in solis interpolatis libris mutilari dixit 1,1067 – 1074, quum eadem mutilatio etiam in secundo antiquo genere inveniatur {v. supra p. 534}. Porro in solis interpolatis libris deesse III, 820 – 829, qui re vera in nullo mspto neque antiquo neque interpolato leguntur, sed ab Avancio ex loco simili V, 352 sunt inserti {v. infra p. 574}. Denique *lemma* post II, 1144 solis interpolatis libris esse commune, quum et illud *lemma* et reliqua omnia etiam in antiquis libris exstent {v. supra p. 543 et 553}. – In ceteris, velut quod II, 1170; III, 594, 95; IV, 513; II, 492 – 94 in omnibus interpolatis deesse dicit, ad *omnes* transtulit quod de *quibusdam* constat.

[80] Brixiensi et Veneta usum esse Avancium probant IV, vv. 123 – 192, qui in Veronensi desunt, adsunt apud Avancium et in Brixiensi Venetaque. Neque vero solam Venetam fundamentum esse recensionis Avancianae, quod dixit Pinzger {Annali. Ienens. 1823. No. 76. p. 122}, praeter alia ostendit v. 535 lib. II, quem ex sola Brixiensi repetere potuit Avancius. Deest enim versus ille et in Veronensi et in Veneta.

[81] Madvigius {Op. I, p. 309, not. 1}, qui haec Avancii supplementa in antiquis codicibus reperiri putavit et in solis interpolatis libris mutilos legi versus: discere cupiebat ab iis, „qui varietatem scripturae collegerunt, quis primus integros versus ex aliquo alterius generis *codice* edidisset."

[82] Neque enim accurate dicit Orellius {praef. ad Ecl. p. 3.} „*rarissime* Pium discedere ab Avancio" talisque discessionis duo tantum profert exempla. Annotabo igitur omnes locos primorum 300 versuum lib. I, ubi ab Avancio discedit Pius: 9, 15, 35, 47, 65 {bis}, 123, 125, 126, 137, 145, 182, 196, 245, 295, 362, 385.

[83] Non „cuiusdam Hermolai", ut dicit Forbiger praef. p. XLI, sed „Veneti" i. e. clarissimi illius Hermolai Barbari, de quo vide Fabricii biblioth. med. et inf. latinit. T. I, p. 172 ed. Mansi.

[84] i. e. Pomponii Laeti.

[85] Cf. Gronovii epistola ad Salmasium {Burm. Syllog. T. II, p. 527}: „Editio Florentina, cui variantes ascripserat quidam *Carolus Strotius*, olim Iosephi Scaligeri."

[86] i. e. Antonii Codri Urcei, de quo vide Fabrici, l. l., T. I, p. 123.

[87] i. e. *msptus* liber, ex illius aetatis consuetudine dicendi.

[88] „Quattuor" dicit, quia sola *mspta* numerat. Codri enim sicut Beroaldi „codicem" fuisse impressam editionem ex ipsius Pii verbis apparet, quamquam „non liquere" dicit Forbiger praef. p. XLI.

[89] Neque profecto qui illorum temporum morem loquendi cognoverit, „eos codices, quos iam Pius prisca et antiqua exemplaria vocavit, non adeo recentes cogitari posse" cum Forbigero {diss. p. 131} iudicabit. Neque quisquam praeter Forbigerum {diss. p. 111} „*miram* lectionis varietatem" dixerit, quod quum nostra mspta omnia VI, 108 praebeant *theatris*, Pius ex „quibusdam codicibus" protulit *trachelis*. Facillime enim explicabitur illius varietatis origo, si Pii annotationem legeris hanc {fol. CLXII a}:

„Quidam codices habent: *magnis intenta trachelis* etc. ut de velis nauticis intelligas, quae ut scimus, carbasa poetae vocant. Ex Macrobio autem didicimus trachelon partem esse mali mediam, cuius verba ex Saturnalium quinto {c. 21} subscripsi: ‚Asclepiades vero vir inter graecos apprime doctus ac diligens carchesia a navali re existimat dicta. Ait enim navalis veli inferiorem partem pternam vocari, at circa mediam ferme partem trachelon, summam vero partem carchesium nominari', de trachelo quo spina dorsualis significatur ante nos nemo. Ex codice vetustissimo, qui fuit grammatici non

incelebris Matthaei Gypsei calvivitium deforme in Aurelio supplevimus. Quod ab Scipione Carteromacho summe probatur, viro singularis eruditionis et eloquentiae.“ – Videmus igitur ex Macrobii loco, quo restituto tantopere gloriatur Pius, vel per aliquem illius temporis grammaticum vel, quod veri est similius, per ipsum Pium, qui „calvitium in Aurelio supplevit“, pervenisse lectionem *trachelis* in „quosdam Lucretii codices“, qui adeo fuisse videntur editiones, quarum marginibus ascripserat aliquis doctam nimirum illam coniecturam. Talis igitur est „lectio, cuius originem, nisi a Lucretio ipso scripta fuisset, divinare non valuit“ Forbiger {diss. p. 112} et in qua invenit ille „duplicis recensionis“ vestigium.

[90] Lugd. 2.: *leviora*. Lugd. 1 et edd. Brix. Ver. Venet.: *leviore*. Atque ab falsa illa scriptura profecti sunt spuriorum versuum fictores. *Leviore* enim quum sit adiectivum, *principiali* pro nomine habuerunt et interpretati sunt: *seminio*. Primus Avancius recte edidit: *levore*.

[91] In quibus plurimi aliorum scriptorum loci ex msptis corriguntur. Molestissimam autem eorum lectionem reddit tum dicendi genus, quod dici nequit quam sit barbarum, tum longissimae digressiones de quaestiunculis scholasticis institutae, quibus „lectorem vegetum saginare“ voluit Puis. {Ipsius sunt verba fol. IX. a. med.}

[92] Eam quum ipse non viderim, colligenda fuerunt quae proferam ex Forbigeri collatione et dissert. p. 29 – 33.

[93] Ipsius sunt Candidi verba ex praefatione, quam repetiit Hauercampus, transscripta.

[94] Praetereo quae nihil sunt nisi priorum repetitiones, velut Aldinam II, quae est Luntinae repetitio.

[95] Vel ut accuratius dicam quater 52 lineae. Nam et in Lugd. 1. et in fine Lugd. 2. post I, 769 iteratur v. 763, post II, 800 et 805 singulae lineae vel indices exhibent vel vacant. Quaeque igitur communis archetypi *pagina* 26 lineas continebat atque quum quater singula folia ex prioris generis fonte exciderint, quattuor illae lacunae exstitere. Id verum esse etiam turbatus ordo vv. 299 – 349 lib. IV. probat. Illi enim in utroque Lugd. et interpolatis libris sic sese excipiunt; IV, 299; 325 – 348; 300 – 324; 349. Ubi transponuntur 26 lineae; nam post v. 302 una linea in Lugd. 2. vacat, in Lugd. 1. indicem exhibet; index autem post v. 337, cuius loco in Lugd. 2. tres vacant lineae, in archetypo videtur scriptus fuisse duabus lineis, sicut scriptus est in Lugd. 1. Transpositio itaque inde orta, quod archetypi librarius paginam, qua in exemplari suo continebantur v. 325 – 348, per errorem ante alteram descripsit. Verum ordinem, quem in margine Lugd. 2. satis antiqua manus significavit, ex editoribus primus Lambinus proposuit.

[96] Nondum mihi in mentem venit quidquam quod aptius esset quam *inesse*.

[97] Id quum sine multitudine exemplorum non possit demonstrari, ut mihi nunc credatur rogo.

[98] Ex illis omnibus apparet minus recte de hoc Lugd. 1. {Y Hauerc.} iudicasse Madvigius Op. I, p. 309.

[99] Unum talium mendorum exemplum afferam haud immemorabile. Vv. 466, 67, lib. II, sic ediderunt Wakefieldius et Forbiger:

Nam quod fluvidum est e levibus atque rotundis
Est; et levibus atque rotundis mixta doloris
Corpora.

Quorum versuum medium {467} quantae suspicioni obnoxium reddant et numeri et verba, non est quod pluribus exponatur. Confirmant suspicionem et mendi originem monstrant Lugdunenses, in quibus sic scribitur:

Est *e* levibus atque rotun*di ad*mixta doloris

Etenim negligens scriba quinque extrema v. 466 verba per errorem ite rum posuit initio v. 467. Quo facto expulsum est genuinum v. 467 initium, relicto tamen eius vestigio in *ad*mixta. Id quum non cadere in versum intelligeretur, scripsere rotund*i* pro rotund*is*. Equidem totum locum sic scripserim:
Nam quod fluvidus est, e levibus atque rotundis
{Corporibus constat; queis sunt} admixta doloris
Corpora.
v. 466 fluvidus, sicut exstat in utroque Lugdunensi, rectissime pridem sic explicavit Preigerus {epist. ad Hauerc. §. IV.} ut „*quod* relative sumi, *fluvidus* referri ad *sudorem*“ {v. 465} diceret. Hunc igitur versum tanquam εκθλιψεως [=weggedrückt] neglectae exemplum minus recte attulisse videtur Hermannus Elem. p. 62. Versus autem 467 si probata erit emendatio non amplius eum Siebelis {quaest. Lucr. p. 42} poterit inter „caesurae post primam arsin exempla“ ponere.
[100] Praeter alios locos, ubi eandem sententiam verbis et maximo cum studio et felicissimo cum successu variatis expressit Lucretius, confer potissimum I, 347 – 358, cum VI, 947 – 960; II, 1101 seqq. cum VI, 396 seqq.; I, 314 cum II, 1280.
[101] Quod fecerunt editores plurimi. Avancius in emendando Lucretio „nil aeque suppetias tulisse quam *Lucretium ipsum*“ profitetur {v. praef. eius apd. Hauerc.} „qui non duos modo quattuorve aut decem versus identidem repetit sed viginti octo in fine primi libri et in principio quarti eosdem videbis.“ Neque in spissis commentariis Lambini, quod saepe miratus sum, neque in Pii Wakefieldiive, quod minori fuit miraculo, quidquam memini legere, quo Lucretium illarum iterationum auctorem *non* esse significetur. Eichstadius demum et Forbiger {diss. p. 10 – 54} eas tanquam validissimum argumentum suae de „duplice recensione“ opinioni probandae ita adhibuerunt, ut illa via rem neutiquam explicari nunc cuique patere putem. Madvigius et Siebelis quid de iterationibus statuerent non pronuntiaverunt. Purmannum p. 34 seqq. pro Lucretianis eas habere nunc video.
[102] Iam apparet tum cur ad v. 822 nullum potuerit Lugdunensium proferri testimonium, quod doluit Wakefieldius, tum eundem Wakefieldium, qui {ad v. 820} „magis miratur consideratam severitatem poetae, quam nimietatem aversatur“, non satis fuisse „fastidiosum“.
[103] Forbiger {diss. p. 47} putat „seriorem Lucretii editorem omnia argumenta ad refellendam sententiam de animi immortalitate versibus 807 – 829 colligere voluisse.“
[104] Et fortasse, his perlectis, etiam Purmanno, qui quidem p. 63 tribuit Lucretio, quod fecit Avancius.
[105] Talem fuisse transpositionis caussam iam Isaacus Vossius {v. Preigeri annot.} indicavit. Atque veri certe est similior, quam Forbigerana. {diss. p. 36}.
[106] Id est initium notissimae vocis Epicureae: το μακαριον και αφθαρτον ουτε αυτο πραγματα εχει ουτε αλλω παρεχει. Diog. Laert. X, 139.
[107] De Avancio et Marullo supra {p. 566 et 569} dictum est. Etiam Lambinus post III, 633 tres, post IV, 492 et 999 singulos versus a se confictos inseruit, quia lacunosi ipsi visi sunt illi loci. Creechius I, 392 seqq. lacunosos esse dixit.
[108] V. supra p. 535; 566; 573.
[109] Ipsum Siebelisium, qui prorsus assentitur Madvigio {Bergk. Ztschrft. 1845. No. 99.}, id non intellexisse infra patebit.
[110] Von B. korrigiert, siehe hier Seite 44.

[111] V. 1067. Avancius: „omnia parturit error“. Lambinus, ex interpolatis codicibus {vid. supra p. 545}: „omnia *finxerit* error“, quod, quamvis etiam peior sit Avanciana coniectura, Wakefieldius et Forbiger susceperunt.
V. 1069. Avancius: „ubi inane locusque“, quod et totum Lucretii argumentum corrumpit – neque enim quia solum inane, sed quia το παν ex Epicuri sententia est απειρον, nusquam esse potest medium – et omisso contra Lucretii consuetudinem verbo „esse“ offendit. Nos nostra mutuati sumus ab ipso Lucretio II, 1044.
V. 1071. Avancius: „Possit ibi quicquam {hac potius} consistere {caussa}“, quae coniectura vel eo minus similis est veri, quod etiam in medio versu lacunam sumit; ut nihil nunc dicamus de inepto isto „hac caussa“. Quod nos proposuimus: „principiorum“ {= atomorum}, in fine versus ponere assolet Lucretius; v. II, 585, 588, 722, alios.
V. 1072. Avancius: „*manere*“ contra versuum, qui sequuntur, sententiam.
V. 1073. Avancius: „inane vocamus“. Nos sequi malumus Lucretium I, 953.
[112] Hauercampus in solo Lugd. 2. „deesse“ tradiderat. Quapro pter testor etiam a Lugd. 1. eum abesse. Ergo quum neque in antiquo ullo neque in interpolato codice reperiatur, primum autem in luntina editione appareat, a Marullo est confictus.
[113] Sic enim periodum totam construit: „quoniam non omnia corpora fingunt etc. at contra exponunt etc.; {cave} ne moenia mundi diffugiant.“ Versum autem 1093 ita scilicet emendari vult: „Nisi a terris paullatim *quem*que cibatum“, ut talis sit sententia: ausser jedem {Ast} der von der Erde gespeist werde.
[114] In ed. Veron. v. 123 – 192 deesse supra p. 556 dictum est.
[115] Atque apparuit id etiam Purmanno {p. 9}, ut nunc video.
[116] Nam „paucis“ {v. 114} non ita premendum esse docet inter alia II, v. 142.
[117] Ad versus huius argumenti deperditos pertinere videntur v. 175 et 176, qui a loco, ubi nunc collocantur, prorsus sunt alieni.
[118] Illo exemplo ad sensuum fidem labefactandam utuntur sceptici, velut Sextus Empiricus Pyrrh. Hypot. I, c. 14. § 102: και το αυτο μελι εμοι μεν φαινεται γλυκυ, τοις δε ικτερικοις πικρον, cf. Fabric. ad. h. l.
[119] Ad versus per lacunas deperditos pertinere etiam eos, qui a grammaticis afferuntur in nostris Lucretii codicibus non inventi, iam Madvigius indicavit {Op. T. 1, p. 321}, quamquam ne ille quidem intellexisse videtur, in aliquot grammaticorum locis, quos attulit Forbiger {diss. p. 75 – 90}, nullum Lucretianorum versuum inesse vestigium. Sic, ut potiora tantum commemorem, in Servii scholio ad Aen. VI, 595 {v. Forb. diss. p. 79} „ostendit“ l. 34, p. 389. T. I, ed. Lion. similiter ac prius „ostendit“ {I. 17} referendum est ad „*Virgilium*“ {v. 616 „radiisque *rotarum* districti pendent“}, non ad: „*Lucretium*“, quod quamvis pateat ei, qui Servii verba accurate perpendat, tamen cum reliquis omnibus, qui de Serviano loco egerunt, nuper etiam Siebelis {Bergk.: Ztschrft. p. 801 a. 1844} praetervidit. Neque magis vere „ineptum aliquod *Servii* commentum“ sibi visus est invenisse Purmannus p. 69. – Praeterea: „permixtus viscere sanguis“ {v. Forbig. diss. p, 81} non sunt Lucretiana, sed Lucani III, 658.
[120] Vide potissimum p. 535.
[121] Mirum videri potest, quod elegiacorum poetarum Romanorum nullus, neque adeo Ovidius eiusmodi quid usquam commemorat.
[122] Aliquid saltem inde proficimus. Nimirum e verbis Suetonii, qui fuit aequalis Hadriani, amplius petere vix poterit Forbiger vestigium „posterioris recensionis non *ante seriores M. Aurelii* annos perfectae“ {v. diss. p. 118 et 125.} – Lerschius {Römische Diorthosen p. 19} non Marcum Tullium Ciceronem, sed Tullium Tironem ab Hieronymo significari coniecit. Haud minore fortasse cum iure, si quidem Marcum Ciceronem

accipere nolis, Quintum significari dicas, cui placuisse Lucretii carmen ex Cic. ep. ad Quint, frat. II, 11, 4 apparet. Illum autem Quintum Ciceronem „epici carminis scriptorem“ dicit Schol. Ambros. ad Cic. pro Arch. c. II, atque circumfertur adeo eiusdem Quinti carmen aliquod didacticum inter catalecta Virgilii Scaligerana ed. Lindenbr. I, p. 245.